AUTHOR:

FUCHS, GUILIELMUS HENRICUS

TITLE:

DE RATIONE QUAM VETERES ARTIFICES,...

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

1852

Master Negative #

91-80189-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Fuchs, Wilhelm Heinrich.

De ratione quam veteres artifices inprimis vasorum pictores in Clipeis imaginibus exornandis adhibuerint. Gottingae, Dieterich, 1852.

49 p. 21 cm.

Thesis, Göttingen.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35MM REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 8/27 INITIALS BG

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE RATIONE
QUAM
VETERES ARTIFICES,
INPRIMIS VASORUM PICTORES,
IN
CLIPEIS IMAGINIBUS EXORNANDIS
ADHIBUERINT.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

GUILIELMUS HENRICUS FUCHS,
SCHAUMBURGO-LIPPIENSIS.

GOTTINGAE, MDCCCLII.
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.
(GUIL. FR. KAESTNER.)

FRID. WIESELERO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

DE

RATIONE, QUAM VETERES ARTIFICES, INPRIMIS VASORUM PICTORES, IN CLIPEIS IMAGINIBUS EXORNANDIS ADHIBUERINT.

Ingens vasorum pictorum numerus, ex diuturnis Italicorum sepulcrorum tenebris prosperrimo casu nuper in lucem prolatus, ut artium historiae novum quoddam et usque ad id tempus minus notum artificiorum genus aperuit, mythologiae luculentissimam copiam ad disquisitiones de deorum heroumque natura accuratius instituendas praebuit, antiquitatum partibus quibusdam insperatam ideoque gratissimam lucem attulit, ita rem poetarum aliorumque auctorum narrationibus satis notam, sed artium monumentis parum adhuc illustratam in majorem adduxit perspicuitatem, quam rationem artifices in clipeis signis imaginibusque ornandis secuti sint. Erit fortasse, cui parva et minuta antiquitatum pars vix digna videatur, quae diligentius pertractetur; sed quum clipeorum insignia recte cognita saepe plurimum valeant ad totum opus apte interpretandum, virorumque doctorum de hac re sententiae diversissimae sint neque usquam, quod sciam, ordine recensitae, operae pretium erit, quae antiquis artificiis inter se comparatis scriptorumque testimoniis adjectis erui potuerint, exponere. Nonnulli quidem viri docti, Millingeni sententia ducti, signis illis vim ullam inesse

negarunt, a pictoribus tantummodo ut vacuum spatium nitidis ornamentis explerent, in clipeis ea posita contendentes; sed licet sint opera, quorum insignia clipeis infixa ut heroum natura conditioneque vel totius imaginis argumento explicemus frustra conamur, eorum tamen, quae quid valeant, clarissime ostendunt, tantus est numerus, ut ignorantiae potius nostrae tribuamus oporteat, si quae sint insignia, quorum notionem non plane perspicere possimus. Itaque quum haec sit nostra sententia, ut omnibus illis clipeorum emblematis significationem quandam inesse artificesque, qui ea confecerint, certam secutos esse rationem, cur ita confecerint, arbitremur, ad totum opus perfecte intelligendum id omni studio persequendum videtur, ut aperte cognoscamus, quae sit ea, quam adhibuerint, ratio. Sed regulas, quas artifices veteres servaverint, certas patefacere, difficillimum est, quapropter fortasse est factum, ut viri docti in varias ac discrepantes inciderent ea interpretandi vias; qui quum in eo maxime videantur erravisse, quod singula opera singulatim tractaverunt et ex unoquoque, quid insigne significet, percipi posse censuerunt, recta via sola ita est instituenda, ut non solum ex operibus figlinis, sed e ceteris etiam, quae similia praebent signa, statuis, sarcophagis aliisque anaglyphis, inprimis vero gemmis et nummis, quam plurima conferamus et inter se comparemus. Hoc modo disquisitionis ratione instituta, aggrediamur propositum, nec operam nostram, quantulacunque fuerit, prorsus irritam fuisse arbitrabimur, quum et nonnulla nova reperire et quae nota jam erant, emendatiora proponere nobis contigerit.

Priusquam tamen singula clipeorum signa perlustramus, initium faciamus oportet a forma et materie clipeorum, de quibus, quantum ad consilium nostrum pertinet, breviter dicamus. Saepissime quum in ceteris artis operi-

bus, tum in vasorum picturis occurrit clipeus in orbis speciem formatus, ab Homero *ἀσπὶς πάντοσ' ἐΐση* Il. III, 347 et *εὔκυκλος* (Il. V, 797) cf. Aesch. Sept. 489: *ἅλω δὲ πολλὴν, ἀσπίδος κύκλον λέγω.* Schol. ad Aristoph. Vesp. 18: *κυκλικαὶ ἦσαν αἱ ἀσπίδες τῶν παλαιῶν*), a Latinis scriptoribus *clari decus orbis* (Valer. Flacc. Argon. VI, 367), *clipei orbis* (Claudian. de bello Gildon. 211), *orbis* (Ammian. Marcell. Hist. XXI, 2) appellatus, quem Argolicum esse et nummus inscriptus *'Αργείων* (Blasii Caryophili de veterum clipeis opusc. p. 40) et Virgilius Polyphemi oculum *Argolici clipei aut Phoebeae lampadis instar* dicens (Aen. III, 637) docent (cf. Lipsii de militia romana lib. III, dial. 2 in Opp. omn. III p. 121). Magnitudo ejus, locis temporibusque varia, mensuram quidem omnino non superans, qua vultus viri distat a genibus (cf. Millingen Ancient Uned. Mon. tab. 25 etc. et Tyrtaei frg. 8, 23 sq. p. 8. Delect. Schneidew.: *μηρούς τε κνήμας τε κάτω καὶ στέρνα καὶ ὤμους ἀσπίδος εὐρείης γαστρὶ καλυψάμενος*), nonnunquam tamen minor, qualis is est clipeus, qui in speculo Etrusco corpus ab humero tantum usque ad coxam tegit (Mus. Etrusc. Gregor. I, 34), aptissima erat, qua major corporis pars muniretur, quamobrem *ἀσπὶς* ab Homero *τερμιόεσσα* et *ἀμφιβρότη* est nominata (Il. XVI, 803. XI, 32). Argolico clipeo, eam igitur prae se ferente formam, qua simpliciorem clipeorum inventores, Argivi, si Plinio credendum (Nat. Hist. VII, 56), non poterant adhibere, antiquissimis temporibus et Graeci et Romani usi sunt; deinde in ejus locum alius substitutus est, qui et levior pondere et aptior ad defendendum videbatur (Dionys. Halic. Hist. VIII, 8. Liv. I, 43); illis enim temporibus clipei Pausania teste aerei (III p. 211.) ita erant fabricati, ut aut ex una aeris mole constarent, ad quos spectare videtur illud Aeschyleum *πάγχαλκος ἀσπίς* (Sept. 591 cf. Eur. Phoen. 121.), aut e pluribus

aeris aliorumve metallorum discis essent conflati, qualis fuit praestans ille clipeus Achilleus, ad quem conficiendum duo aeris, duo plumbi albi (κασσιτέροιο), unum discum aureum Vulcanus ita conjunxit, ut aes utrimque externo positum sit loco, plumbum aurum, quod medium tenebat, amplecteretur (Il. XX, 271), qui quo facilius conspicerentur, nescio an ita sint apparati, ut proximus quisque discus in minorem praecedente orbem reductus sit. Fuit praeterea usitatum, coria taurea aereis discis interponere (Il. XII, 295 sqq.), aut plura, quibus aereum tegumen obsidebat, conjungere (Il. VII, 248. Virg. Aen. X, 482 etc.). Qualiscunque igitur fuit clipeorum compositio, omnino praebebant superficiem aere fabricatam (χαλκόνωτος ἀσπίς, Eur. Troad. 1126), aptissimam sane, quam artifices opere caelato exornarent. — Alius generis clipei orbiculati, Welckero praecedente nunc λαισήϊα πτερόεντα Homerica habiti, ii sunt, ex quorum margine inferiori descendit additamentum quoddam quadratum, laciniosum in ima parte, eo fortasse consilio affixum, ut crura, ubi invenitur, ocreis plerumque carentia tegat (cf. Schulz Amazonenvase von Ruvo p. 6 not. 189); quod lana textum fuisse satis clare apparet ex figuris, interdum in eo descriptis, quadratis vel Maeandri cursum depingentibus (Mus. Etrusc. Greg. II, 5, 2 a. II, 86, 2 b), quae et in vestibus saepe occurrunt pictae; eamque ob rem signa, quae nonnunquam in eo cernuntur (duo oculi, Inghirami Vasi fittili tab. 169. Millingen Vas. Coghill. tab. 10.; unus oculus Inghir. l. l. tab. 168) intexta habenda sunt. Hi clipei quum et ab Homero ambobus, quibus memorat, locis pugnas Graecorum Trojanorumque describentibus (Il. V, 453. XII, 425) aperte distincti videantur ab altero genere, quod appellat βοείας ἀσπίδας εὐκύκλους, et Herodotus Cilices Xerxis agmen sequentes λαισήϊα ἀντ' ἀσπίδων ὠμοβοέης πεποιημένα tulisse tradat (VII, 91),

non longe abesse a veritate videtur, haec arma populis Asianis esse propria, postero tamen tempore pictorum licentia Graecis quoque heroibus diisque attributa. Nec dissentiunt vasorum picturae; nam juvenis capitis tegumento Phrygici pilei instar formato Asianus satis notatus hunc clipeum, cycni imagine ornatum, gerit in vase Musei Burboniani (Gerhard Neapels antike Bildwerke p. 255), neque est quod obstet, ne virum eodem modo armatum ap. Inghir. Vas. fitt. tab. 169 et heroes in vase Musei Etrusc. Greg. II, 86 depictos, quum qui sint certa desiderentur indicia, Asianos putemus. Quod vero Theseus, Amazonem comitans, ejusmodi clipeo exstructus cernitur (Inghir. l. l. tab. 168. Welcker Alte Denkmäler III, tab. 22, 1), nescio an ita possit explicari, ut Asiano illo tegumine Graecum heroem tamquam Asianum, quippe qui ab Antiope ut amicus recipiatur (cf. Welcker. l. l. p. 350 sq.), docte indicare artificem voluisse statuamus. At in illis vasorum picturis, quarum auctor nullo, ut videtur, consilio motus Graecis hunc clipeum attribuit (Menelao, addita inscriptione, Mus. Etrusc. Greg. II, 5, 2 a; Ajaci, Panofka Bilder antiken Lebens VI, 5; Minervae Mus. Etrusc. Greg. II, 86, 2 b), alia non patet interpretationis via, quam ut pictorem illa, quam memoravimus, usum esse licentia arbitremur. — Aliud clipeorum genus in antiquae artis monumentis saepe adhibitum, in ovatam formam est circumscriptum, semirotunda in utroque latere longiore addita incisura; nummorum nonnullorum, in quibus apparet, inscriptiones Boeoticum esse testantur (Haym. in Thesaur. Brit. Tom. I p. 223: Βοιωτῶν. Beger. p. 279: Θήβη. cf. Hesiod. scut. Herc. 13: φερεσσακέας Καδμείους). Qua materia sint compositi, quamvis certo scriptorum testimonio non declaretur, si ex insignium, quae aere confecta esse constat, multitudine iis apposita colligere licet, aereo et eos tegumine opertos esse censebi-

mus; neque eodem modo, quo quos primo loco enumeravimus, pluribus aereis discis, coriis taureis interjectis, eos fortasse esse conflatos potest negari. Magnitudine maximis clipeis Argolicis non cedunt; quam si quis per appropinquationem voluerit aestimare, tantam poterit statuere, quantos Romanorum θυρεούς in similem speciem formatos, sed quadrangulos et testudinatos neque incisuris interruptos describit Polybius, qui quatuor pedes ex longioribus lateribus, duos et dimidium ex brevioribus eos distentos esse affirmat (cf. Lips. l. l. p. 121. Caryophil. l. l. p. 46). — Argolicum clipeum vasorum pictores et Graecis et barbaris, Boeoticum nemini fere nisi Graeco apposuerunt; tertium in vasis pictis invenitur genus, Amazonum peltae, a barbaris nonnunquam (Gerhard Auserles. Vasenbilder tab. 207. Trinkschalen tab. IV. V. cf. Inghirami Galleria Omerica tab. 68 etc.), a Graecis rarissime usurpatae (exstat exemplum ap. Stackelberg Graeber der Hellenen tab. 38 n. 4), quas auctores et lunatas (Virg. Aen. I, 490 et quos locos citat Bernd Wappenwesen der Griechen und Römer, p. 15 not. 1.) et hederae similes (Pollux Onomast. 134.) describunt. Sed antiquiori usu Amazonibus peltae rotundae attribuuntur, quarum in vasorum picturis nonnulla ad aetatem nostram pervenerunt exempla (Inghir. Vas. fitt. tab. 98. Gerhard Auserl. Vas. tab. 96); deinde paulatim in ovatam speciem formatae (Bröndsted Bronzen von Siris Nr. 1 et 2.), uno latere levi primum incisura (Mon. ined. dell' Instit. arch. II, 13), tum majori excavantur, ut totius peltae forma ad lunae crescentis speciem proxime accedat (Dubois Maissonneuve Introduction tab. 55); incisura denique in eodem latere duplicata, illa effecta est forma, quae hederae folio, cacumine obtuso, comparari potuit; quam frequentissimam in omnis generis monumentis artifices adhibuerunt. Variarum illarum formarum exempla in eodem vase

conjuncta inveniuntur in Mon. ined. dell' Inst. II, 30. — Haec clipeorum genera in vasis pictis, quae, quum copiosissimam quaestioni nostrae suppeditent materiem, praeter cetera artis opera perlustrabimus, sola inveniuntur; reliqua igitur, barbaris plerumque propria, quae nummi aliaque monumenta (columna Trajani, imperatorum arcus triumphales) praebent, hic omittamus.

Remotissimis jam temporibus heroes, ut et unus ab altero facilius posset distingui et hostes terribili irruentis propugnatoris signo timore implerentur, clipeorum superficiei insignia imposuerunt, (cf. Eur. Phoen. 142 sqq.); quem morem num Graeci ut alia multa a populis Asianis, apud quos multis annis ante metalla vario modo incudendi artem viguisse, aliunde satis notum est, acceperint (cf. locos quos citat Bernd l. l. p. 4 not. 1), an ipsi invenerint, ad propositum nostrum nullius est momenti. In clarissima certe illa Argivorum principum in Thebas expeditione, quae quisque tulerit insignia, quum Aeschylus et Euripides (Sept. 375—685. Phoen. 1090—1140) diligenter narrent, non est causa, cur eos tamquam poetas illis jam heroibus arma dedisse putemus, quae re vera ad id tempus prorsus ignota fuerint; nam in bello Trojano arma ita ornata frequentia fuisse, Plinii verba, qui *scutis, qualibus apud Trojam pugnatum, imagines esse contentas* dicit (Nat. Hist. XXXV, 3, 4) clare testantur neque Homeri ipsius desunt testimonia (Il. V, 182. XI, 36 sq. XIX, 380 etc.). Sequenti tempore hunc morem non evanuisse, sed ab Atheniensibus Spartanisque servatum, auctores sunt Plutarchus Alcibiadem Cupidinem fulmen ferentem in clipeo gessisse narrans (Alcib. c. 16), et Plinius, qui Spartani cujusdam clipeum musca viventis magnitudinem non superante insignitum esse tradit (Nat. Hist. XXXIV, 8, 19); a Samnitibus etiam scuta auro et argento caelata Romani praedati sunt (Liv. IX, 40), Car-

thaginiensesque clipeos auro fabricatos et imaginibus ut videtur exornatos secum in castris tulerunt; qualis fuit Hasdrubalis clipeus, qui inventus a Marcio supra fores aedis Capitolinae erat affixus (Plin. Nat. Hist. XXXV, 3, 4). Clipeum illum egregie ornatum (ἀσπίδα εὖ κεκοσμένην), quem adspiciens Scipio Romanum spem dextra tenere, non sinistra decere dixit (Aelian. Var. hist. XI, 9), Spei imagine caelata, et Romanorum in nummis usitata (Rasche Lex. univ. rei num. IV, 2 p. 1410 sqq.), insignitum fuisse verisimile est. Alexandri Magni, qui militum clipeos argento ornavit (Justin. XII, 7. Curt. VIII, 5. Aelian. Var. hist. IX, 3), exemplum postea imitatus est Caesar, militum scutis aurum argentumque imponens (Sueton. Caes. c. 67); imprimis tamen gladiatorum clipei auri argentique copia variisque imaginibus erant insignes (Ernesti excurs. XXVII ad Sueton. cf. Liv. IX, 40. Capita, laureis coronis cincta, in gladiatorum clipeis in Mon. ined. dell' Inst. III, 38).

Jam si quaerimus, quo modo artifices veteres signa illa in clipeis posita excuderint, pauca tantum sed certissima exstant scriptorum testimonia; Aeschylo enim auctore Parthenopaeus Arcas σφίγγ' ὠμόσιτον προςμεμηχανευμένην γόμφοις ἐνώμα (Sept. 541 sq.) et in Polynicis clipeo διπλοῦν erat σῆμα προςμεμηχανευμένον (ib. 643), quibus locis tunc temporis signa caelata (ib. 542: λαμπρὸν ἔκκρουστον δέμας) clavulis clipeo affixa esse, non vero caelato opere apparet ex area extusa, 'quod artis genus postera demum aetate viguit. Consentit Homerus, in Agamemnonis clipeo emblemata variorum metallorum, decem circulos aereos, viginti umbones plumbo albo confectos, unum chalybe nigro fabricatum, cui Gorgonis caput insideret, imposita fuisse narrans (Il. XI, 32 sqq. cf. Ovid. Met. V, 189). Inveniuntur autem apud poetas vestigia quaedam, quibus signa nonnunquam mobilia, quae novo adspectu et strepitu effecto hostes terrerent, clipeis

affixa fuisse probari videtur; Hesiodeo enim Herculis scuto duodecim addita erant serpentum capita, τῶν καὶ ὀδόντων μὲν καναχὴ πέλεν, εὖτε μάχοιτο Ἀμφιτρυωνιάδης (v. 164 sqq.), ad quem locum annotat Schol. paraphrast. (ed. Ranke p. 52): ἀπὸ δὲ τούτων καὶ ἦχος τῶν ὀδόντων ὑπῆρχε διά τινος μηχανῆς. — οἱ γὰρ δράκοντες ἔτρυζον διά τινος μηχανῆς. τοὺς ὀδόντης αὐτῶν, ὥςπερ ζῶντες καὶ κατέπληττον τοὺς ἐχθρούς. Sed quum is clipei apparatus et incommodus esset, quod hostium ictibus facile destruebatur, et inutilis, quia strepitus pendentium denticulorum — minimos enim fuisse necesse est, quum tot tantisque imaginibus clipeus esset impletus — ad hostium aures vix poterat pervenire, dubium non est, quin poeta opus Vulcano dignum depingere cupiens, insueto id affecerit apparatu, ut ab hominum operibus mire discreparet tantamque sibi adscisceret admirationem, quantam cetera dei opera, tripodes sponte cursantes (Il. XVIII, 373 sqq.) vel canes aurei Alcinoi domum custodientes (Od. VII, 91 sqq. — cf. Voss. Mythol. Briefe I. p. 209—212). Plus offensionis locus praebet Euripideus (Phoen. 1124—27), quo poeta Polynicis clipeum describens dicit: Ποτνιάδες δ' ἐπ' ἀσπίδι ἐπίσημα πῶλοι δρομάδες ἐσκίρτων φόβῳ, εὖ πως στρόφιγξιν ἔνδοθεν κυκλούμεναι πόρπαχ' ὕπ' αὐτόν, ὥστε μαίνεσθαι δοκεῖν, quibus addit Schol. (ad v. 1131 Valck.): οὕτως ὑπὸ μηχανῆς κατεσκευασμέναι, ὥστε τοῖς ὑποκάτω τῆς ἀσπίδος ἱμᾶσι κινουμένας δοκεῖν μαίνεσθαι καὶ φόβον ποιεῖν τοῖς ὁρῶσι, quo equos re vera mobiles fuisse aperte probatur. Sed hic locus et is quidem poetae quum solus est, qui talem clipei ornatum testetur, tum aliud scholion hanc profert explicationem: τῷ περὶ αὐτὰς φόβῳ ἐδόκουν σκιρτᾶν· στρόφιγξι δὲ, ταῖς ἡνίαις, καθὰ δι' αὐτῶν στρέφεται τὸ ἅρμα; dubitare igitur licebit, quin ista machina usquam revera sit admota.

Non modo exterior clipei pars, sed interior etiam nonnunquam imaginibus distincta invenitur, quas in clipeis tantum deorum statuis additis aliisque similibus in bello non admissis caelatas esse potuisse res ipsa docet; quale scutum erat Minervae in Parthenone collocatae, cujus in parte concava deorum et gigantum dimicationem caelavit Phidias (Plin. Nat. Hist. XXXVI, 5, 4; cf. imaginem, quam ex conjectura descripsit Quatremère de Quincy le Jupiter Olympien, tab. VIII et X); saepius tamen in interiore parte adhibebantur picturae, quippe quae minus essent impedimento, ne facile clipeus gereretur. Pictura ornatum Pausanias vidit scutum in thesauro Olympico servatum (VI, 19, 3: *ἀσπίδα γραφῇ τὰ ἐντὸς πεποικιλμένην*), eademque usus est Panaenus, Phidiae frater, in Minervae Eliadis clipeo intus ornando (Plin. Nat. Hist. XXXV, 8, 34); neque in artis quae habemus operibus desunt exempla; cernuntur enim ornamenta (Gerh. Auserl. Vas. tab. 122. Schulz Amazonenvase p. 7), coronae fronde textae (Inghir. Vas. fitt. tabb. 115. 116), serpens Ajacis Oilei clipeum intus ornans in vase (Gerh. Archaeol. Zeitung 1848. tab. 13, 4) et in nummo Locrorum Opuntiorum (Müller Denkm. I, 41, 185. O. Jahn Archaeol. Aufsätze tab. I, 4), gryps in clipeo, quem fert heros, a Jahnio Telephus appellatus, in nummo Tegeatarum (O. Jahn l. l. tab. I, 5 cf. p. 167), idem signum in nummo Opuntiorum (Creuzer Religions, trad. par Guigniaut. Tom. IV, tab. 210, 819a), Enceladi aliusque gigantis figurae in clipeo, quem fert Enceladus in cratero Musei Burboniani (Schulz in Bull. dell' Inst. 1842, p. 68), sex figurae humanam speciem prae se ferentes, partim alatae, partim alis omissis, dii fortasse belli, Minervae clipeo impositi in vase picto (Gerh. Apulische Vasenbild. tab. D). Rarius manubriis etiam clipeorum additae inveniuntur imagines; Agamemnonis enim clipeo affixum erat

manubrium serpente nigro tricipite ornatum (Il. XI, 36), et ejus, quo Menelaus in vase picto cernitur armatus, manubrium duos ostendit viros duosque gallos (Mus. Etr. Greg. II, 5, 2a). —

Scripturae usus in Graecia quum latius propagatus esset, inscriptiones breves clipeis interdum imponebantur. Plutarcho auctore (Demosth. c. 15) Demosthenes quum apud Chaeroneam pugnaret, verba clipeo incisa tulit: *Ἀγαθῇ τύχῃ*, quem morem in remotissimam belli Thebani aetatem transtulit Aeschylus, qui in scuto Capanei haec verba tamquam viri facem ardentem praeferentis inscripta fuisse narrat: *πρήσω πόλιν* (Sept. 434), in clipeo Polynicis hanc tamquam Justitiae sententiam: *κατάξω τ' ἄνδρα τόνδε καὶ πόλιν ἕξει πατρῴαν δωμάτων τ' ἐπιστροφάς* (ib. 647 sq.); similemque in modum Thesei nomen in clipeo ejus aspici finxerat Euripides, si recte, ut videtur, Thesei fabulae fragmentum illustravit Wagnerus (Poetar. tragicor. fragmenta Vol. II. p. 198 sq.). Postero tempore civitatum nonnullarum milites patriae nominis litteram initialem in clipeis gestabant; Xenophon enim Sicyonios littera Σ signatos clipeos tulisse tradit (Hist. gr. IV, 4, 10), quo *σημεῖα Λακωνικὰ*, quae dicit Pausanias (IV, 28, 3), recte referri apparet ad litteram *Λ* Lacedaemoniorum clipeis incisam (cf. illud Eupolideum *ἐξεπλάγην γὰρ εἰδὼν στίλβοντα τὰ Λαμβδά*, quod Eustathius ad Il. II, 582 sic interpretatur: *τὰς Ἀργολικὰς ἀσπίδας*). Harum inscriptionum, quibuscum eae non sunt confundendae, quae quum clipei hostium capti in deorum sacris dedicarentur, incidebantur, ut indicarent, quis et quamobrem dedicasset (Paus. V, 10. cf. Virg. Aen. III, 286 sq. Thom. Stanley in Aesch. Agam. 587. Victoria inscriptionem clipeo incidens saepe invenitur quum in vasis pictis, tum gemmis Musei Berol. III. n. 1243. 1244. Epigrammata clipeis dedicatis imposita nonnulla leguntur

ap. Paus. I, 13, 2. X, 21, 3. Anacreon epigr. 99, Delect. Schneidew. p. 372 etc.) perpauca tantum exempla in artis monumentis ad nostram pervenerunt aetatem; exceptis enim, quae in superiore gladii quem dicunt Tiberiani opere caelato duobus clipeis incisae leguntur: FELICITAS TIBERI et VIC. AVG i. e. Victoria Augusti, et in nummis (v. c. Vitellii: VIC. GER. i. e. victoria Germanica, Oisel. Thesaur. XXIV, 9. Guigniaut l. l. tab. 134, 379 etc.), omnes quae reperiuntur inscriptiones casu fortasse ibi sunt collocatae eodemque jure in quemlibet alium imaginis locum transponi possunt. Sufficiet haec proposuisse exempla: *ΑΘΕ* scutis duorum puerorum currentium inscriptum (Panofka Bild. ant. Leb. I. n. 10), quod pro *'Αθήνηθεν* in vasis praemiariis Panathenaicis usitatum videtur esse positum (Bröndsted: on Panathenaic Vases in Transactions of the roy. soc. of lit. Tom. II. p. 131 not. 75, et Böckh in Ind. lectt. Berol. 1831—32 p. 4 sqq.), *Achle*, Etruscum Achillis nomen, in margine clipei, quem fert Achilles in speculo Etrusco (Gerhard die Heilung des Telephos), *Menle* i. e. Menelaus in clipeo herois in alio speculo (Müller Denkm. I, 60, 306), *καλός* in Ephialtis scuto equo insignito in vase picto (Müller l. l. I, 44, 208), *καλὸς Εὐφίλητος* in clipeo Minervae (Gerhard. Etrusk. u. Campan. Vas. tab. A n. 5), duae inscriptiones obscurae in clipeis duorum pugnatorum (Inghir. Vas. fitt. tab. 261).

Omnes hominum artes quum parvam originem capiant paulatimque crescant et augeantur in majus, eandem legem in clipeis imaginibus exornandis secutos esse artifices, exorsos a simplicissimo ornamenti genere, verisimile est; umbo ponebatur in medio, clavorum orbe vel pluribus circulis inclusus, qualis Agamemnonis in Iliade describitur clipeus, in quo tamen umbonis locum tenet os Gorgonis, opus majore jam arte compositum; vel umbo virgis radiorum in modum discurrentibus ita circumdabatur, ut

ornamentum solis fulgore ictum stellae micanti vel ipsi radianti soli non esset dissimile (cf. Aesch. Sept. 387. Eur. Phoen. 168 sq.); hanc ob simplicitatem in vasorum picturis, gemmis, nummis saepissime invenitur (Micali Mon. ined. tab. 40, 2. Dub. Maissonneuve Introduct. tabb. 43. 77. Inghir. Vas. fitt. tab. 54. Gemmae Mus. Berol. II n. 166. Visconti Iconogr. grecq. tabb. 42, 1. 43, 1 etc.). Tum progressus hic est factus, ut res singulae natura vel arte confectae ad clipeos ornandos eligerentur, quarum quum innumerabilem fere copiam in vasis inprimis antiquioribus nobis reliquerint pictores, has instar omnium sufficiet enumerare: serpentem, delphinum, hederae folium, tripodem, ancoram, currum. Mox duo signa in scutis aut una imagine conjungebantur (aquila serpentem rostro portans, Gerhard Trinkschalen tab. IX; cervus a panthera dilaceratus, Mon. ined. dell' Inst. I, 21, 1a etc.), aut separatim ponebantur eaque saepissime in clipeis Boeoticis, qui incisuris ambabus et umbone inter eas prominente in duas areas divisi non locum praebebant, qui una imagine composita expleretur (leo in superiore parte, serpens in inferiore, Micali Mon. tab. 73, 3; duo serpentes, Gerhard Auserl. Vas. tab. 130; gryps in superiore, taurus in inferiore parte scuti, quod in opere caelato arcus Constantii cernitur, Bellori veteres arcus Augustor. tab. 44); rarius plures ejus generis figurae una imagine continebantur, cujus compositionis exemplum exstat clipeus Ajacis Boeoticus Gorgonis capite et quatuor pantheris exstructus in vasis pictura ap. Gerh. Auserl. Vas. tab. 212. Minus frequenter deinde occurrit corporis humani effigies, fortasse quia ejus descriptio majorem operam desiderabat; singulae quidem corporis partes, Gorgonis et Sileni capita, unum crus, tria crura conjuncta, quae dicunt triquetram, saepius conspiciuntur, in paucis tamen vasis tantum tota forma humana (Ae-

thiops tuba canens, Mon. ined. dell' Inst. I, 35; bellator currens hasta armatus, Mus. Etrusc. Greg. II, 87, 1a; Eris currens, Inghir. Vas. fitt. tab. 109, 3 et Gerh. Auserl. Vas. tab. 194; cf. Centaurum, Mus. Etrusc. Greg. II, 81, 2a et Mon. ined. dell' Inst. II, 35, Sirenem tibia canentem, ib. I, 22, 12.); multoque minor eorum clipeorum est numerus, quibus complurium hominum vel hominum et animalium figurae impositae sunt, nam fere non inveniuntur nisi in tabulis pictis, operibus caelatis, gemmis, nummis (Minerva Gigantem occidens, in pictura Herculanensi, Pitt. di Erc. II, 233; Ajax Achillem mortuum e pugna auferens, in vase argenteo caelato, Thiersch in Abhandl. der Münch. Acad. 1849, V, 2 p. 105 sqq.; heros ab altero necatus in marmore ectypo, Winckelmann Mon. ined. tab. 88; Thetis hippocampo insidens, Achillis clipeum portans, comitante Tritone, in Gemm. Mus. Berol. IV n. 270; Palladii raptus ib. IV n. 306; duo pugnatores in clipeo Veneris Victricis, Clarac Mus. de sculpt. IV. tab. 596; Probus imperator, quem Victoria militesque comitantur, in nummo Probi, Buonarroti Osservazione istoriche sopra alcuni medaglioni antichi, tab. 26, 1. 2. 3; lupa cum Romulo et Remo pueris lactentibus in clipeo Romae, in opere ectypo Mus. Pio-Clem. V, 29. Guignaut l. l. tab. 255, 901. cf. Buonarroti l. l. tab. 31, 1. Rasche Lex. univ. rei num. II, 2 p. 1889 sq.). — Ad has imagines uberiores gradatim tantum artifices progressos esse neque prima quasi populi aetate talia jam potuisse conficere, quum per se sit in aperto, mirum sane videatur necesse est, remotissimo illo Graecorum tempore tres clipeos describi, qui et varietate imaginum et inventionis dignitate omnia ejusmodi opera, quae ex praestantissima artis aetate ad nostram pervenerunt memoriam, longe superant; duo enim clipei, in Italia reperti, qui omnium, quos habemus, proxime ad illorum

scutorum imagines accedere videntur, nihil continent nisi virorum equorumque figuras in tres circulos dispositas (Millingen on the late discoveries etc. in Transactions of the roy. soc. of lit. Tom. II p. 78). Sed qui Achillis, Herculis, Aeneae scuta accurate perlustraverit, poetas ea describentes non opus arte confectum ante oculos habuisse, sed cogitatione, qua licebat, artificium depinxisse, quod ut heros, cui attribuebatur, omnibus aequalibus longe praestabat, ita inter cetera ejusmodi opera mire excelleret, non est quin statim intelligat; illud enim opus, plus una ratione artis finibus excedens, re vera non exstitisse, Homerus et qui eum sequuntur, artificem divinum Vulcanum clipeum illum fabricatum esse narrantes, satis ostendunt; quamobrem quod doctissimi tentaverunt viri, ut clipeorum illorum imagines pictura delinearent (Caylus, Quatremère de Quincy, cf. Müller Handb. §. 59, not. 1.), id tantum potuerunt efficere, ut dilucidarent, qualis fortasse fuerit imago, poetae in mente haerens, quum illud opus describeret, vel quae actionis momenta sint depingenda, si quis ex uberiore illa narratione, qua poeta pro epici carminis natura clipei imaginem adumbrat, opus componere voluerit. Itaque tres illi clipei ad nostram disquisitionem non pertinent; neque tamen erit omittendum, in illis operibus supra verum pulcherrimis, praecipue in Herculis scuto nonnulla reperiri signa, quae in operibus arte confectis singula aspicimus. Nam quod in medio posuit signum Hesiodus, serpens, frequentissime in vasorum picturis occurrit; Eridem jam supra memoravimus (p. 14); animalium certantium imagines vario modo in clipeis exstant, quarum has tantum afferamus: canem leporem persequentem (Clarac Mus. de sculpt. II, tab. 151), pantheram cervum dilacerantem (Inghir. Vas. fitt. tabb. 202. 203. Gemm. Mus. Berol. VIII, 21. 24. cf. 14. 15. Ca-

des Impronte di mon. gemmarj III, n. 2); Centaurorum Lapitharumque certamini aliquo modo respondet Centaurus, quem supra attulimus (p. 14); neque delphinorum in mari ludentium, Medusae capitis, virorum pugnantium desunt exempla in clipeorum signis adhuc servatis, si id tantum mente tenetur, imaginem, quae pictori simpliciter erat depingenda, augere et exornare poetae licuisse.

His, quae necessaria videbantur, expeditis, rationem, quam veteres artifices in clipeorum signis eligendis adhibuerint, quaesituri, hanc viam ingrediemur, ut quae fuerit illa ratio, scriptorum testimoniis, quantum fieri potuerit, explicato, singulis signorum exemplis, quatenus artifices in operibus, quae habemus, eam sint secuti, demonstremus. Jam neque simplicem eam fuisse neque in singulis insignibus eandem semper servatam, qui opera leviter tantum perspexerit, facile intelliget; plures igitur quasi rationes sunt statuendae, quarum varietatem angustissimis quam maxime finibus circumscribentes, summam probabilitatem, quae in re tam obscura et tot sententiis discrepantibus conturbata, ullo modo possit effici, assecuturos nos esse speramus. Scriptorum autem testimoniis si recte confidimus, clipeorum emblemata in duo genera facile possunt dividi, quorum *unum* continet signa, quae pugnatorem, qui fert, accuratius designent, ita quidem, ut aut originem ejus, aut patriam indicent, aut ad deum ab eo praeter ceteros cultum spectent, aut rerum ab ipso egregie gestarum memoriam tradant; *alterum* ea, quae hostes terreant animumque herois accendant, quibus ea arcte cohaerent, quae ut invidiae pericula averruncent heroemque a fascinatione reddant tutum, clipeis imposita esse videntur.

Diversa haec genera non semper quidem accurate apparent distincta, sed ita interdum confusa, ut quid pictor senserit, clare nequeat intelligi; re vera tamen eas

rationes secutos esse artifices, nonnullis jam testimoniis confirmemus. Quomodo signa ad parentes herois fuerint relata, ejus testes sunt clipei, quos Argivorum principes Thebas oppugnantes gestasse narrat Euripides; nam quamquam eorum insignia a poeta esse ficta, negari non potest, nulla tamen constat eum voluisse depingere, nisi quae ex more heroum gestari potuisse sciret. Itaque Parthenopaeus Atalantem aprum venantem (Eur. Phoen. 1108) in clipeo portabat, ut ex venatrice illa clarissima genitum sese esse indicaret. Virgilius Aventinum signum ferentem, quod ad patrem Herculem spectabat (Aen. VII, 657 sq.: satus Hercule Aventinus clipeo insigne paternum centum angues cinctamque gerit serpentibus hydram), et Turnum, ut Inachum proavum probaret, Ionem in vaccam mutatam, custoditam ab Argo, describit gestantem (Aen. VII, 789 sqq.: clipeum sublatis cornibus Io auro insignibat, iam setis obsita, iam bos, argumentum ingens et custos virginis Argus, caelataque amnem fundens pater Inachus urna cf. v. 371 sq.). Similiter Nileus ad patrem Nilum depingendum fluvii imaginem in clipeo posuerat (Ovid. Met. V, 187 sqq.: Nileus, qui se genitum septemplice Nilo ementitus erat, clipeo quoque flumina septem argento partim, partim caelaverat auro: Aspice, ait, Perseu, nostrae primordia gentis), et Idomeneum Sole oriundum gallum illi deo sacrum in clipeo tulisse tradit Pausanias (V, 25, 5: *ὅτου δὲ ὁ ἀλεκτρυὼν ἐστι ἐπίθημα τῇ ἀσπίδι, Ἰδομενεύς ἐστιν ὁ ἀπόγονος Μίνω· τῷ δὲ Ἰδομενεῖ γένος ἀπὸ τοῦ Ἡλίου τοῦ πατρὸς Πασιφάης. Ἡλίου δὲ ἱερόν φασιν εἶναι τὸν ὄρνιθα καὶ ἀγγέλλειν ἀνιέναι μέλλοντος τοῦ ἡλίου.*). — Clipeorum emblemata ad patriam designandam esse adhibita, nonnullis apparet exemplis; teste enim Euripide (Phoen. 1114) Argum, Argivae Ionis custodem, ut Argivum sese praeberet, in clipeo tulit Hippomedon (cf. ib. 125 sq.), quo-

cum consentit Scholiasta (ad v. 1122 Valck.: *οἰκεῖον δὲ ὁ Ἱππομέδων σημεῖον εἶχεν ἐγγεγραμμένον· εἰς γὰρ τεκμήριον τῆς πατρίδος σημεῖον στικτὸν ἔφερε τῆς Ἀργείας βοὸς φύλακα*), eademque fuit causa, cur hydram Lernaeam ab Hercule prope Argos necatam et Adrasto (Eur. Phoen. 1135. Schol. ad v. 1143 Valck.: *ἐν τῷ Ἄργει ἐν Λέρνῃ πηγῇ Ἄργους, ἡ Ὕδρα ἡ ἐννεακέφαλος ἦν, ἣν ἀπέκτεινεν Ἡρακλῆς. εἶχεν οὖν Ἄδραστος ὡς Ἀργεῖος ταύτην ἐπίσημον τῇ ἀσπίδι.*) et Capaneo tamquam Argivis (Statii Theb. IV, 168 sqq.) attribuerint poetae. — Numinis praeter cetera culti notae in clipeis saepissime positae inveniuntur; cujus rei testis est Bacchylides, qui Mantinenses, quorum urbs Neptuni esset sacra, tridentem in clipeis tulisse dicit in versu a Didymo ap. Schol. Pind. servato (ad Olymp. XI, 83: *Ὁ Δίδυμος οὕτω καθίστησι τὸν λόγον· τὴν Μαντινέαν φησὶν εἶναι ἱερὸν Ποσειδῶνος καὶ παρατίθεται τὸν Βακχυλίδην λέγοντα οὕτω· Ποσειδάνιον ὡς Μαντινεῖς τριόδοντα χαλκοδαιδάλοισιν ἐν ἀσπίσι φορεῦντες.* cf. Delect. Schneidew. p. 443). Theron, Herculis sacerdos, ejus exemplum imitans quum clavam pellemque leoninam ferebat, tum hydram Lernaeam gerebat in scuto (Sil. Italic. II, 158 sq.: Centum angues idem Lernaeaque monstra gerebat in clipeo et sectis geminam serpentibus hydram); eodemque modo Alcibiades, qui Cupidine fulmen gerente clipeum ornaverat (p. 7. cf. Lipsii Anall. ad milit. Rom. in Opp. omn. Tom. III, p. 434), Veneris omnipotentis assiduum se esse cultorem nescio an voluerit significare (cf. Zinkeisen, Gesch. v. Griechenl. I, p. 300, Not. 1). Persas, Solem venerantes, ejus imaginem in clipeis tulisse tradit Tertullianus (Apolog. c. 16). — Clipeorum insignia ita saepe esse electa ut rerum bene gestarum vel periculorum prospere superatorum memoriam servarent, permultis veterum testimoniis probatur; nam Polygnotus in le-

sches Delphicae picturis Menelai clipeum angue insignierat, quo illius serpentis, qui Graecis Aulide considentibus prodigio fuerat (Il. II, 308 sqq.), memoriam servare eum voluisse Pausanias censet (X, c. 26: *Μενελάῳ δὲ ἀσπίδα ἔχοντι δράκων ἐπὶ τῇ ἀσπίδι ἐστὶν εἰργασμένος, τοῦ ἐν Αὐλίδι φανέντος ἐπὶ τοῖς ἱερείοις τέρατος εἵνεκα*); neque cur Ulixes delphinum in scuto gesserit (Stesichor. ap. Tzetzem ad Lycophr. Cass. 658. Plutarch. de anim. soll. c. 36; *δελφινόσημος* propterea appellatur a Lycophrone l. l.), alia fuit causa, quam ut documentum esset multorum periculorum in mari magnam partem sustentorum; quo signo adducti postea Zacynthii Telemachum puerum in mare delapsum delphinis esse servatum finxerunt (Plut. l. l. cf. Welcker. in Rhein. Mus. I, p. 394). Eodem consilio Theseus apud Statium (Theb. XII, 665 sqq.) in clipeo fert Minotauri caedem, propriae exordia laudis, ut scite addit poeta. Ad historiam Tarenti spectat delphinus, quem Tarentini clipeis nummisque imponebant (Caryoph. l. l. p. 119. cf. nummum, in quo eques galeatus, sinistra clipeum rotundum delphino insignitum tenens conspicitur, ap. Rasche Lex. V, 1 p. 521); Tarantem enim, Neptuni filium, qui urbem condidisse credebatur, delphino illuc portatum esse fama erat. — Clipeis ea saepe infixa esse insignia, quae animum accendere hostesque terrere posse credebantur, vix opus est testimoniis; pauca tamen subjungamus. Philopoemen, egregius ille Achaeorum dux, dicere solebat, armorum ornatum tantopere valere ad animum militum inflammandum, ut periculorum contemptores aptosque ad omnes belli labores tolerandos reddat (Plutarch. vit. Philopoem. p. 361), neque clipeorum signa terribilem in modum fulgentia quidquam posse ad hostes terrendos negabat (Polyb. XI, p. 629); quod Euripides quoque dicere voluisse videtur, qui stellarum choros una cum Perseo Gorgonis caput ferente clipeo Achilleo im-

positos appellavit *Ἕκτορος ὄμμασι τροπαίους* (Electr. 466 sq.). Hoc igitur consilio multa emblemata, quae depingunt Aeschylus atque Euripides, sunt electa; in Sept. adv. Theb. Capaneus virum taedam ferentem, clamantem urbem sese combusturum (v. 432), Eteocles armatum pugnatorem scalis in murum ascendentem et ne Martem quidem sese rejecturum vociferantem (465), Hippomedon Typhoem nigrum ore igneo efflantem fumum, serpentibus circumdatum (493) insignia ferunt; Hyperbius Thebanus, Hippomedontis adversarius, Jovem pugnae rectorem fulmen manu tenentem gerit (512); Parthenopaei clipeus Sphinge, formidolosissimo Thebanis monstro, virum ungulis rapiente est insignitus (539. cf. opus figlinum ap. Stackelberg. Graeber tab. 56 et O. Jahn. Archaeol. Beitr. p. 115 sqq.), Polynicisque scutum continet virum armatum manu ductum a Justitia, reducturam sese eum in urbem et restituturam in patrimonium, praedicante (645 sqq.). Tydeus Euripideus (Phoen. 1120) Prometheum taedam ad urbem incendendam tenentem, Polynices (1124) equas Potniades furientes (cf. Valer. Flacc. III, 190. VI, 59), Capaneus (1130) Gigantem totam urbem funditus evulsam humeris ferentem, Adrastus (1135) hydram Lernaeam, patriae tamquam signum, centum capitibus Thebanos de muro deripientem gerunt. Simili ratione in Hesiodeo scuto Herculis (149. cf. 162 sq.) cernebatur prope anguem *Ἔρις, σχετλίη, ἥ ῥα νόον τε καὶ ἐκ φρένας αἴνυτο φωτῶν, οἵτινες ἀντιβίην πόλεμον Διὸς υἷϊ φέροιεν,* et Minerva Gorgonis caput armis suis imposuit, ut attonitos formidine terreret hostes (Ovid. Met. IV, 802). Ad ejusmodi signa referendae videntur, quae saepius occurrunt, ducum admonitiones, ne timeant milites signorum adspectum horrendum; qualia sunt verba Eteoclis (Aesch. Sept. 398): *οὐδ᾽ ἑλκοποιὰ γίγνεται τὰ σήματα,* et Alcaei (Delect. Schneidew. p. 269): *οὐ τιτρώσκει τἀπίσημ᾽ ὅπλα,* quibus

Schol. ad Aesch. Sept. 200 haec addit: *οὐδὲ αὐτὰ καθ᾽ ἑαυτὰ δύναμιν ἔχει, εἰ μὴ ἄρα ὁ φέρων αὐτὰ γενναῖος ᾖ;* similiter Papirius consul in bello Samnitico (Liv. X, 39) et Calgacus, Britannorum dux (Tac. Agric. 32), milites adhortati sunt, ne hostium signis timore implerentur. — His signis illa proxime accedere, quae ad fascinationem averruncandam credebantur aptissima, quamquam pauci tantum exstant scriptorum loci, qui aperte doceant, res ipsa probat; nam quum fascinationis remedia ea efficacissima haberentur, quae foedum truculentumque adspectum praeberent, multa ejus generis, quod modo memoravimus, signa huc quoque spectare verisimile est; Gorgonis certe caput, atrox sane adspectus ac tristis, eam ob causam *θέαμα ἀποτρεπτικὸν τῶν δεινῶν* credebatur (Lucian. Philopatr. c. 8). Quod insignium genus cur vasorum imprimis pictores saepissime adhibuerint, facile est intellectu; nam signa illa in clipeis posita et arma commode ornabant, et suppellectilem ejusmodi ornatu pictam a malo oculo, qui maxime metuebatur, aliisque fascinis tutam reddere credebantur.

Jam transeamus ad usitatissima clipeorum insignia, quae quum in ceteris artis operibus, tum in vasis pictis inveniuntur, accuratius perlustranda.

Serpens, et propter figurae simplicitatem et quod symboli notio ad omnes fere heroes poterat referri, saepissime in quoque artis genere ad clipeos ornandos adhibitus, nonnullis viris doctis hanc interpretationis rationem praebere est visus, ut astutiae significationem ei inesse putarent, quae veteribus Graecis est prorsus ignota; neque enim exemplum singulare (Mon. ined. dell' Inst. I, 7), quod citat Gerhardus (Auserl. Vasenb. III p. 102, not. 101), ad hunc sensum probandum ullius est momenti, quum aliam longeque aptiorem interpretationem admittat. Videtur potius imago serpentis, toto corpore terrae incubantis

(*χαμαὶ ἐρχομένοιο δράκοντος.* Orphic. Lithic. v. 48) omniumque animalium arctissime cum ea conjuncti (quare appellatur *ὄφις γῆς παῖς*, Herodot. I, 78; *γῆς δράκων υἱός*, Plutarch. Lysandr. c. 19.), symbolum fuisse terrae proprium (Voss Mythol. Briefe II p. 143. Preller Demeter p. 200 not. 61), unde apparet, cur omnes fere dii ad terram pertinentes serpente utantur attributo. Nam Cererem ipsam aeque ac Tripolemum curru serpentibus tracto vehi tot locis artificumque operibus probatur, ut inutile sit exempla cumulare; ad quam significationem referendi sunt serpentes aratrum trahentes in nummo Ennae Siciliae urbis (Mus. Hunter. tab. 25, 23), et spicae papaverique interpositi (Rasche Lex. IV, 2 p. 1468 sq.), vel cornucopiae, ex quo spicae dependent, additi (Rasche ib. p. 690), multaeque similes nummorum notae. Eandem ob causam Bacchus, et is quidem deus terrester, ejusque comites serpente praediti interdum inveniuntur (Serpentes duo Baccho intermedio, Rasche l. l. p. 711; serpens e cista quam vocant mystica prosiliens, Wieseler Denkm. II, 35, 412; 37, 432 a. Rasche l. l. p. 692 sq. etc. Bacchae serpentes manibus tenentes, Gerhard Neap. ant. Bildw. p. 363 sq. not.); neque longe alia fuit fortasse serpentis significatio, quem heroibus mortuis ad deorum inferorum naturam prope accedentibus (Hermann Gottesd. Alterth. §. 16 n. 2) saepe additum esse testatur Plutarchus (Cleom. extr. *οἱ παλαιοὶ μάλιστα τῶν ζώων τὸν δράκοντα τοῖς ἥρωσι συνῳκείωσαν.* cf. Gerhard Prodrom. p. 258 sqq.). Serpens autem Apollinis tripodi saepe implicatus (Duc de Luynes in Nouvell. Annal. II p. 253 sqq. Mus. Disnejanum II tab. 60. cf. Wieseler. in Gött. Gel. Anz. 1850 p. 1858. Rasche IV, 2 p. 692) simili ratione ad vaticinationem terrae vaporibus effectam spectat (cf. Böttiger. Kl. Schriften I p. 397 sq.); neque serpens diis salutiferis, Aesculapio et Hygiaeae additus

(O. Jahn. Archaeol. Beitr. p. 221 sqq.) aliud quidquam significat, quam ex terra proficisci omnia morborum remedia. Sed quum terra sit non modo omnium bonorum, verum etiam malorum procreatrix (Orphic. Lithic. 399 sq.: *αὐτὴ γαῖα μέλαινα πολυκλαύτοισι βροτοῖσι τίκτει καὶ κακότητα καὶ ἄλγεος ἄλκαρ ἑκάστου*), et Tartarum mortisque tenebras includat, serpentem ei sacrum ad perniciem mortemque indicandam posse adhiberi, plane apparet, quod operum copia amplissima abunde probatur. Neque enim qui in nonnullis vasis Hectorem ab Achille circum Patrocli tumulum tractum repraesentantibus tumulo impositus est serpens vel prope tumulum serpit (Inghir. Vas. fitt. tab. 6, 2. Raoul-Rochette Mon. ined. tab. 27. Gerhard Auserl. Vasenb. tabb. 198. 199. cf. Virg. Aen. V, 86. O. Jahn Arch. Beitr. p. 342 n. 43. Gerhard Neuerworb. ant. Denkm. n. 1694), alia is potest explanari via, quam si imaginem eum esse tanquam mortis statuamus; qua interpretatione optime consentit serpens Thanato ipsi prope mortuum virum in lecto jacentem stanti additus (Passeri Pict. Etr. III, 217. R. Rochette Mon. Ined. p. 225). Nullo vero modo enodatio prolata a Gerhardo, qui serpentem quasi mortui simulacrum esse similiterque fortasse serpentem arbori circumjectum, qui in sarcophagorum anaglyphis frequenter occurrit, explicandum censet, ita satisfacit, ut possimus probare; nam quum nullum quod sciam exstet exemplum, mortuos anguis corpore esse descriptos, immo toto corpore humano, quale ante mortem fuerat, sed minore et alato (Dub. Maissonneuve Introd. tab. 48. Gerhard Auserl. Vas. tab. 198. cf. O. Jahn Arch. Beitr. pp. 128 sqq. 136), in his quoque imaginibus nihil nisi mortis propinquitatem serpentem significare probabile est. Hac interpretatione lucem accipiunt serpentes picturis perniciem aliquam impendentem describentibus interdum appositi; serpentem enim ad pe-

des Sileni Sphingi in rupe sedenti adstantis eique avem sive donum amatorium sive placamen offerentis prosilientem (Gerhard Neap. ant. Bildw. p. 267 sq. Wieseler Theatergebäude tab. VI, 10 cf. p. 48) ita intelligimus, ut imminentem illi mortem eum significare putemus; neque alia inest notio serpenti prope Perseum Minervae Gorgonis caput tradentem erecto (Gerh. Neap. ant. Bildw. p. 339. Mus. Borbon. V, 51), non Libyam indicat, quod censuerat Gerhardus, sed mortis sortem quemque, qui caput illud immane ausus esset adspicere, statim assequentem. Simili modo serpens Sisypho in Tartaro rupis molem humeris ad montis cacumen ferenti additus (Gerh. Auserl. Vas. tab. 85 cf. II p. 22) perniciem significat, qua labor gravissimus et rupis usque recumbens eum afficere minabantur; in nummis Gordenorum (Rasche II, 1 p. 1503) et Sardianorum (ib. IV, 2 p. 701) sub curru Plutonis Proserpinam rapientis positus periculum indicat, in quo virgo, a rege inferno in mortis domicilium rapta versatur. Anguis alatus in Palamedem lapidibus coopertum advolans mortis instantis signum eodem modo habendus est (Welcker Alte Denkm. III tab. 27 cf. p. 436 sq.), ac serpens, quem Nemesis, Victoriae alis et rota Fortunae praedita, manibus fert in gemma (Buonarroti Medagl. ant. 225. Guigniaut. tab. 140, 560), nescio an imago sit perniciei incidentis in omnes, quos dea arripit. Jam quid sibi velit serpens prope Polyphemum, cujus oculum Ulixes ejusque comites trabe sunt effossuri, sibilans quasi caput ejus morsurus, in vase supra citato (p. 21), diutius potest dubitari? Immo clarissimum est testimonium, hanc, quam modo exposuimus, notionem inesse serpenti, optimoque igitur jure interpretatio a Gerhardo prolata est rejicienda. — His exemplis quum perspicue sit demonstratum, serpentem quum terrae esse tamquam symbolum, tum ad mortem praesentem instantemque indicandam adhiberi,

non potest esse in ambiguo, quid serpens valeat, qui in heroum clipeis saepissime invenitur; nam anguis in Achillis clipeo imprimis positus (vasorum picturis, quas citat Northampton in Archaeol. Brit. Tom. XXXII p. 257—259, has addimus: Achilles cum Hectore dimicans, Dub. Maissonneuve Introd. tab. 9, cf. tab. 24, 5. Inghir. Vas. fitt. tab. 9. Gerh. Auserl. Vas. tabb. 21. 118.; Achilles cum Memnone super Antilocho mortuo certans, Gerh. l. l. tab. 130; clipeo a Thetide Achilli armis sese induenti tradito serpens impositus est, Inghir. l. l. tab. 293), eodem modo, quo serpens in Herculis scuto Hesiodeo (v. 144: *ἐν μέσσῳ δὲ δράκοντος ἔην φόβος οὔτι φατειός,* cf. v. 161 sqq.), ad hostes terrendos sine dubio est adhibitus aptissimeque ab artificibus ei additus viro, qui praeter ceteros Trojanis inferebat perniciem; neque aliud quidquam serpente potest significari, quo aliorum et Graecorum et Trojanorum clipei ornati sunt. Cernitur enim, ut pauca afferam exempla, in clipeo Antilochi mortui a Nestore e pugna portati (Gerh. Auserl. Vas. tab. 208); Ajacis Telamonii Achillem mortuum e pugna auferentis clipeus duobus serpentibus est insignitus (R. Rochette Mon. ined. tab. 68); unus serpens in scuto Phorbantis Theseum sequentis in vase, quod dicunt Codri (ed. Braun), Amazonis et Memnonis (Millingen uned. Mon. tab. 40), Amazonis contra Theseum pugnantis (Gerh. Auserl. Vas. tab. 96. cf. II p. 45. Schulz Amazonenvase von Ruvo), mulieris, fortasse Amazonis cum Gryphe dimicantis (Dub. Maisonneuve Introd. tab. 55), Aeneae patrem Troja expugnata auferentis (Inghir. Gall. Om. tab. 92. Müller Denkm. I, 43, 202), Geryonis (de Witte in Nouvell. Ann. II p. 119 not. 5), Martis prope Jovem Minervam edentem (Gerh. Auserl. Vas. tab. 4), herois, qui Theseum Helenam rapientem comitatur, secundum Gerhardi explicationem (ib. tab. 167). Itaque quum et exemplis collatis satis de-

monstretur, non Graecis solis, sed aliis etiam heroibus serpentis insigne a vasorum pictoribus esse datum, et in clipeis Romanorum Imperatorum nummis impressis serpens nonnunquam inveniatur (num. Hadriani, M. Aurelii, Alexandri Severi, Rasche IV, 2 p. 701), sententia, quam protulit Northampton (l. l. p. 259), anguem Graecorum contra Trojanos dimicantium proprium esse insigne, prorsus refellitur; praeterea, quamquam signum illud in Minervae, principis Graecorum Trojam oppugnantium patronae, clipeo saepe cerni constat, parum accedit ad verisimilitudinem, quod ille vir doctus censuerat, Graecis omnibus apposuisse artifices deae signum, quod non universo per totam Graeciam divulgato cultu, sed Attico tantum ei tribuebatur. Frequentissima enim quum sint opera eademque pleraque Attica aut ad exemplaria Attica confecta, in quibus Minerva cum serpente Erichthonii agriculturae, ut fama erat, per Atticam propagatoris symbolo conjuncta conspicitur (cf. Müller Handb. §. 370, nott. 5. 7. Ad pedes Minervae, quam ebore et auro sculpsit Phidias, serpens erat, Plin. Nat. Hist. XXXVI, 5, 4, qualis in opere, quod dicunt Minervam Justinianeam, aliisque signis cernitur, Müller Denkm. II, 19, 205. Archaeol. Brit. Tom. XXXII p. 13 sqq. cf. Wieseler in Gött. Gel. Anz. 1851 pp. 614 — 17. Serpens ante Palladem repens in nummis Athenarum, Müller Denkm. II, 21, 223. Rasche IV, 2 pp. 688. 696), ad hunc serpentem referendam esse ejus imaginem, Minervae clipeis interdum impositam (in vase Panathenaico Gerh. Ant. Bildw. tab. 7; in clipeo deae cum Encelado dimicantis, Lenormant Elite céramogr. I, 9; in clipeo Minervae, quem tenet Cupido, Mus. Borbon. XIII, 8. Zahn II, 54 cf. O. Jahn Arch. Beitr. p. 193), summam prae se fert veritatis speciem (cf. Welcker Acad. Kunstmuseum ed. 2 p. 68). Qui serpens tamen Trojanae Palladis, ad quam confugit Cassandra ab Ajace insultata,

clipeum ornat (Gerh. Auserl. Vas. tab. 228), utrum signum sit illorum serpentum, qui et illi deae, si Virgilii loco credimus (Aen. II, 226 sq.), sacri fuisse videntur, an ab Attico artifice signum patriae deae proprium peregrinae quoque, sed cognatae sit attributum, an imago tamquam imminentis poenae sit adhibitus, qua scelestum illum affectura sit irata dea, non audeo dijudicare. Rejiciendum certe est, quod Northampton de signi hujus in clipeo Minervae positi origine et notione est suspicatus; qui ea fuit sententia, ut aut quia deae Aegide et capite Gorgoneo tot dependerent serpentes, aequali ac sueto ornamento clipeum distinguendum censuisse artificem, aut ad deae sapientiam exprimendam anguem in clipeo collocatum esse putaret; quorum utrumque quantum absit a veritate, quum neque rationem tam levem veteres artifices unquam secuti sint, neque serpens hac vi usquam apud Graecos usurpatus, nemo non videt. Neque firmioribus adminiculis alia suffulcitur serpentis Minervae clipeum ornantis explicatio, deam eo symbolo Paeoniam vel Hygiaeam significari; nam quum omnino possit dubitari, num dea ita cognominata, quam Athenis cultam esse paucis tantum minimeque apertis testimoniis potest concludi (cf. Müller Handb. §. 370 not. 7 extr.), ullo opere adhuc servato sit repraesentata, ad eam serpens ille vix potest referri. Neque, ut in transcursu attingamus, quod nuper protulit Panofka (Monatsberichte der Berliner Acad. 1851 p. 122) tamquam documentum Athenae Iasoniae, in cista quam vocant Ficoroniana (Müller Denkm. I, 61, 309) vestimento deae intextum apparere serpentem, ullius potest esse momenti; nam quod serpentem dicit vir doctus, nihil videtur esse, nisi ornamentum, in ejus generis operibus usitatum (cf. Müller Denkm. I, 62, 311 a in veste Dianae vel Proserpinae). — Singulari significatione serpens in Gigantum clipeis fortasse est positus (Gerhard

Trinkschalen tabb. X. XI. cf. Northampton l. l. p. 257), qui quum terrae filii haberentur et posteriori artificum usu cruribus in serpentes exeuntibus fingerentur, aptissime illius animalis, quod et ipsum terra natum habebatur (p. 22), imaginem ad originem patefaciendam in clipeis portabant. Simili ratione Epaminondam, quippe qui esset e genere Spartorum draconis dentibus terra reconditis, ut fama erat, natorum, serpentem in clipeo gessisse tradit Pausanias (VIII, 11). Praeterea hoc signum clipeo impositum interdum spectare ad certas res memoria dignas Pausaniae verbis supra citatis (p. 19) satis probatur; itaque facile adducimur, ut anguem, quo Ajacis Oilei scutum saepius insignitum cernitur (Gerh. Archäol. Zeitung 1848, tabb. 13, 4; 14, 2. vid. supra p. 10), ejus serpentis, quem vivum secum ducere solebat (Philostr. Her. VIII, 1), simulacrum esse arbitremur (Böttiger Raub der Cassandra p. 34. R. Rochette Cat. Durand p. 151, 2. Gerh. Arch. Zeitung 1848 p. 212 not. 18). — Quibus autem in imaginibus cum aliis animalibus certans conspicitur anguis, illam, quam proposuimus, significationem inesse non opus est censere; eodem enim consilio, quo ejusdem generis picturae vasorum antiquiorum pugnas monstrantium quum superioribus partibus vel inferioribus (cf. Wieseler in Gött. Gel. Anz. 1850 p. 1868. 1851 p. 625 etc.), tum clipeis (cf. exempla supra citata pp. 13. 15) impositae sunt, ut pugnae sint tamquam imago, ad hostes terrendos proeliique exitum quasi vaticinandum pictores serpentem cum hoste luctantem clipeis addiderunt; qualis est gryphis cum serpente dimicantis imago in clipeo, quem praebet gemma ap. Micali Mon. tab. 54, 1. Praeter cetera occurrit aquila serpentem unguibus vel rostro tenens (de Witte Cat. Durand n. 297. Mus. Etr. Greg. II, 55, 2 a, quibus fortasse addendum signum ib. 69, 36; cf. multos nummos ita insignitos ap. Rasche Lex. IV, 2 p. 700);

quod signum quum omen infaustum antiquitus haberetur, quo in bello Trojano Polydamas ita commoveretur, ut de prospero pugnae exitu desperaret (Il. XII, 199—210. cf. aquilam serpentem per aera rapientem super proeliantes, Inghir. Vas. fitt. tab. 41. Gerhard Auserl. Vas. tab. 205. cf. III p. 216 not. 19), aptissimum artificibus videbatur, quo clipeos exornarent.

Scorpius, in scutis interdum collocatus, quum quomodo ad heroem, qui fert, designandum potuerit adhiberi, non plane appareat neque ullam prae se ferat veritatis speciem, hoc signum, Africae et Commagenes symbolum aliunde notum (Rasche IV, 2 p. 166 sq. Bernd Wappenwesen pp. 125. 133. cf. opus tessellatum Praenestinum, Müller Handb. §. 322 not. 4), in vasis pictis ad locum indicandum (Gerhard in Annal. dell' Inst. II, p. 215) esse positum, simili ratione qua serpens ad hostes terrendos videtur esse electus; neque enim incommode sane illud animal, quod pestiferum et venenatum ab omnibus metuebatur (Orphic. Lithic. 498: τοξευτῆρα πευκεδανῶν βελέμνων σκορπίον), Achillis saevissimi Trojanorum adversarii clipeum ornat (Inghir. Vas. fitt. tab. 5). Eodem signo notatus cernitur heros currens, lapidem dextra erecta tenens (Tischbein. Vas. d'Hamilton IV, tab. 51. Panofka Bild. ant. Leb. tab. VI, n. 3), secundum Inghirami interpretationem (gall. Om. tab. 69) Diomedes, lapidem in Aeneam jaculans (Il. V, 305); sed artificem pugnam illam depicturum Aeneam apponere oportebat, ut quid vellet intelligeretur; mulier igitur fugiens in altera vasis parte depicta cum illo conjungenda videtur, ut heros potius amore inflammatus puellamque subsequens sit repraesentatus, quem lapide tamquam jaculo uti, non erit qui miretur (cf. O. Jahn. Arch. Beitr. p. 31—38); attamen quum notae desint, quibus qui sint probetur, illorum nomina, ut fit in ejus generis imaginibus, non potuimus investi-

gare. In Minervae clipeo interdum conspicitur scorpius (Ann. d. Inst. II, p. 223), eodem, quem proposuimus, sensu; neque alia notio signo in clipeo Gigantis prostrati (Gerh. Trinkschalen tab. A. B.) aliorumque pugnatorum imposito (Micali Mon. d. ant. pop. ital. tab. 85, 4. Inghir. Vas. fitt. tab. 300) videtur vindicanda; qua vi fortasse et scorpius clipeo in tropaeo collocato insculptus est intelligendus (Zoega Bassiril. tab. 113). — Animal scorpio non prorsus dissimile, cui cauda tantum et brachia desunt, ut nequeat dijudicari, num scorpium artifex voluerit fingere an aliud animal, sepiam fortasse vel polypum, hic illic occurrit; quale est signum in Achillis clipeo pictum (Inghir. gall. Om. tab. 256. Müller Denkm. I, 44, 207), quod si scorpius est, eandem quam proposuimus sequitur interpretationem, sin polypus, quod praeferendum videtur (cf. Ambrosch. in Bullet. d. Inst. II, p. 144), heroem ex dea marina esse ortum eodem modo, quo hippocampus in gemma (Mus. Berol. IV, 266), indicat (Northampton l. l. p. 261). Eadem fuisse causa videtur, cur in Geryonis ex Callirrhoe Oceani filia nati (Hes. Theog. 287 sq. 979 sqq.) clipeo sepiam pinxerit artifex (de Witte in Nouv. Ann. II, p. 111 cf. p. 277). Simile signum fert heros discedens a muliere pugnam fortasse initurus, quod alio pugnatore adstante armis sese induente licet conjicere (Stackelberg Gräber tab. 10); quam picturam si quis ad clarissimum illum Iliadis locum, quo Hector Andromachen salvere jubens describitur (VI, 369 sqq.), velit referre, illud insigne quid valeat, nequit intelligi; quare nescio an Achillem Briseidem sibi redditam relinquentem ad ulciscendam Patrocli mortem pictor voluerit repraesentare.

Equus in multis clipeis et alatus et sine alis, quum toto corpore, tum dimidio, ut aut prior pars sit picta aut posterior, conspicitur; sed amputatae quasi signi formae vis quaedam non videtur inesse; nam quum clipei circuitus in vasorum picturis saepe sit brevior, quam qui majora insignia possit amplecti, partem tantum, qua quid significet, facile cognosci queat, artificem depingere oportebat (cf. Bernd l. l. p. 196 sq.). Itaque pars omnium praestantissima, caput, vel corporis pars prior non solum equi (Mon. ined. d. Inst. II, 48. III, 24. Micali Mon. d. ant. pop. ital. tab. 88, 2. cf. nummos Syracusanorum aliarumque civitatum ap. Rasche II, 1 p. 735 sqq.), sed etiam aliorum animalium majorum (arietis, Duc de Luynes Choix de vases tab. I. Panofka Bild. ant. Leb. tab. VI n. 2. cf. nummum Clazomeniorum Rasche I, 2 pp. 602. I, 1 p. 1095; tauri, Gerh. Auserl. Vas. tab. 108. cf. nummum Thurinorum Rasche I, 1 p. 1573) saepe invenitur. Sed quae fuerit causa, cur posterior interdum animalium pars ab artificibus in clipeis sit picta (Mus. Etr. Greg. II, 67, 3 etc., quibus signis tamen ea non sunt confundenda, quorum altera pars, quum clipeus oblique sit positus, non potest conspici, Dub. Maissonneuve Introd. tab. 84 etc.), non item facile est intellectu; nam quominus artificum arbitrio vel negligentia ita ea descripta putemus, hoc obstat, quod eundem posteriorem equi partem in nummis quoque Atheniensium conspici docemur (de Witte in Nouv. Ann. II, p. 278 not. 2); sed sive tergum equi eam ob rem, quod, cui eques insideat, necessaria et quasi primaria pars fortasse habebatur, a vasorum pictoribus tali brevitati servientibus descriptum est, sive alia fuit causa, quid equus significet, non potest esse in dubio. Sunt enim equi nulla tam insignes virtute, quam celeritate (ὠκυπόδες ἵπποι Hom.); quae significatio alis additis, quibus omnes fere celeritate prominentes equos praeditos fuisse fama erat, majorem accipit perspicuitatem. Exemplum praestans, quo equum alatum hanc involvere notionem probatur, suppeditat vas pictum (Dub. Maisonneuve l. l. tab. 84. Müller Denkm. I, 44, 208), in quo Neptunus

et Ephialtes Gigas, inscriptionibus appositis notati, dimicantes cernuntur; equum enim alatum, Gigantis clipeo impositum, eo consilio, ut nomen ejus (*ἐφιάλτης, qui irruit*) exprimeret, elegisse videtur artifex, aptissimum sane, quo potuit fieri, signum. Simili ratione equum alatum fert Acamas, Thesei filius, Troja capta Aethram aviam, quae Helenam in Trojanorum fines erat secuta, una cum Demophonte fratre reducens (Mon. ined. d. Inst. II, 35. cf. Pausan. X, 25, 3); equus infatigabilis, cum vento cursu certans (Pind. Olymp. I, 140: *πτεροῖσιν ἀκάμαντας ἵππους*. III, 5: *ἀκαμαντοπόδων ἵππων*), optime conveniebat, quo herois nomen, praeterea litteris adscriptum, significaretur (cf. Panofka in Ann. d. Inst. VII, p. 243). Alterius fratris clipeo Centaurus arboris ramo armatus (cf. Hes. scut. Herc. 188. Orphic. Argon. 173) impositus aut ad Thesei patris res contra Centauros gestas (cf. Il. I, 265. Ovid. Met. XII, 342 sqq. etc.) spectat, aut ad hostes terrendos tamquam monstrum formidolosum (Il. I, 267. 271 sq. Ovid. Met. XII, 211. 219. 406 etc.) electus est, nisi artifex et eo nomen herois, a vocibus *δῆμος* et *φάω, φένω* derivatum, depingere voluit. — Idem equi signum, et alati et sine alis picti, quum praeter ceteros heroes Graecos ei, cui epitheton *πόδας ὠκύς* attribuit Homerus, Achilli, videretur aptissimum, ab artifice in eo collocatum est clipeo, quem Thetis a Vulcano accepit, ut filio traderet (d'Hancarville Ant. Etr. I, tab. 112. Panofka Bild. ant. Leb. tab. VIII n. 1. Inghir. Vas. fitt. tab. 114); posterior tantum equi pars conspicitur in clipeo, quem fert Achilles Troilum interficiens (Gerh. Auserl. Vas. tab. 226). Neque aliam vim latere in equi parte posteriori, qua Geryonis clipeus ornatus cernitur (de Witte cat. Durand. n. 295), et aquila in aliis vasorum picturis clipeo ejus imposita, et alis interdum Geryoni ipsi ad velocitatem ejus declarandam additis (de Witte cat. Magnoncour. n. 38.

Cat. étrusq. n. 139 not. 2. cf. Stesichor. ap. Schol. ad Hesiod. Theog. 287) satis probatur. — Pariter equus in Thesei Amazonem quandam, fortasse Antiopam, aggredientis clipeo videtur esse adhibitus (Gerh. Auserl. Vas. tab. 163 cf. III, p. 43 sqq.); quem quamquam celeritate praestantem fuisse nullo, quod sciam, poetarum testimonio confirmatur, equi tamen bellicosi signum summo jure illi heroi attribuere potuit artifex, quem fortissimum omnique bellica virtute insignem Atticae imprimis fabulae depingebant. Eadem significatio videtur inesse equo, Iasonis (W. Durand descr. d'antiq. 82, 257) aliorumque heroum clipeos ornanti (Gerh. Auserl. Vas. tab. 222. Mon. ined. d. Inst. II, 48. Mus. Etr. Greg. II, 67, 3). — Minervae clipeo equus saepe cernitur impositus, cujus haec exempla in medium protulisse sufficiat: equus alatus in vase praemiario Panathenaico (Mon. ined. d. Inst. I, 21, 10a; 22, 8a); equus currens in scuto Minervae Hercule comitante contra. Halcyonea Gigantem dimicantis in gemma (Mus. Berol. III n. 62); idem signum in clipeo Palladii, quod amplectitur Cassandra ab Ajace correpta, in vase (Gerh. Arch. Zeitung 1848 tab. 14). Cujus notae quam proposuimus explicatio quamvis optime conveniat cum picturarum illarum argumentis, in illis tamen, quibus Attica dea repraesentatur, operibus angustiorem quandam notionem ei inesse verisimile est. Duae sunt fabulae, quibus cur equus cum Minerva junctus sit, explicari potest, una notissima illa de deae cum Neptuno certamine, quo incitatus equum ille procreavit, altera de Pegaso domito, quem Bellerophonti ad Chimaeram vincendam tradidit Minerva; quarum haec quum parum divulgata videatur, quam aliter Pindarus (Olymp. XIII, 90-115), aliter Pausanias (II, 4) narrent, Strabo (VIII p. 379) plane ignoret, tantum abest, ut Toelkenii Pindaricam illam *Ἀθάναν Ἱππίαν* signo notatam censentis (Verzeichniss der

Berl. Gemmensammlung III n. 62) sententiam sequamur ut Neptuni illum esse equum ejusque arctam cum Minerva conjunctionem multis artium operibus probatam (v. c. cf. Palladem et Neptunum in nummo Atheniensium ap. Rasche IV, 2 p. 704) eo significari putemus; cui explicationi si quis id voluerit opponere, quod equus interdum alatus Pegasique in modum formatus invenitur, meminerit, hac picturae ratione artificem nihil nisi eximiam divinorum equorum velocitatem voluisse demonstrare; quae fuit causa, cur in arca Cypseli equos Pelopis, quos a Neptuno acceperat (Pind. Olymp. I, 56 sqq.) artifex finxerit alatos, quamvis alas illas Oenomao cum Pelope certaturo occultas esse, spectatores ut sibi persuaderent cogerentur.

Leo, quum fortis indomitique animi sit signum eamque ob rem Marti nonnunquam additus (in nummis Metapontinorum Rasche III, 1 p. 609 sq. R. Rochette Mon. inéd. p. 114), in Minervae clipeis apte est pictus tamquam deae, quae bellicosa et victrix (bellica Pallas, Ovid. Met. V, 46 etc.) non minus colebatur, quam pacifica (Mus. Etr. Greg. II, 86, 2b. 5, 2a. Gerh. Auserl. Vas. tab. 18; leonis fortasse posterior pars Welcker Alte Denkm. III, tab. 5, 2). Gerhardus quidem (l. l. I p. 68) leoni aquilae Jovis instar dominandi notionem inesse eademque ratione signum illud Minervae additum explicandum censet, sed prima ejus vis certe ad bellum certamenque spectat; fortissimi animalis robur indomitum excitat timorem et parat admirationem, quocum optime consentiunt Pausaniae verba (V, 19, 1): *Φόβος δὲ ἐπὶ τοῦ Ἀγαμέμνονος τῇ ἀσπίδι ἔπεστιν, ἔχων τὴν κεφαλὴν λέοντος.* Eandem vim signo, quod Aeneae clipeo hic illic invenitur impositum, inesse existimamus; in pictura enim, qua pugna de Patroclo mortuo repraesentatur, quum idem signum illi sit additum (Inghir. gall. Om. tab. 254. Müller Denkm. I, 44, 207) in mentem veniant necesse est Homeri verba,

quae dicit Aeneae cum Diomede pugnam de Pandaro prostrato describens (Il. V, 297 sqq.): *Αἰνείας δ' ἀπόρουσε σὺν ἀσπίδι δουρί τε μακρῷ, δείσας μήπως οἱ ἐρυσαίατο νεκρὸν Ἀχαιοί· ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτῷ βαῖνε λέων ὣς ἀλκὶ πεποιθώς.* Sed Virgilius Aeneae navi Phrygios leones insignis loco infixos esse narrat (Aen. X, 156), quos, quum in clipeorum ac navium signis eligendis eandem saepe veteres secuti videantur rationem, fortasse erit, qui cum illa clipei imagine conferat; recte tamen hujus loci interpretes ad Cybelen, in Troade inprimis cultam, duobus leonibus vehentem (Aen. X, 253), signum illud pertinere observarunt, neque causa est, cur leonem in vasis pictis Aeneae additum ad deam illam referendum arbitremur. Leonem praeterea ferunt Ajax (de Witte descr. d'antiq. de Durand 141, 392; cf. Il. XVII, 132 sqq.: *Αἴας δ' ἀμφὶ Μενοιτιάδῃ σάκος εὐρὺ καλύψας ἑστήκει, ὥς τίς τε λέων περὶ οἷσι τέκεσσι* etc.), Menelaus (Millingen peint. d. vas. 33. cf. Il. XVII, 61 sqq.: *ὡς δ' ὅτε τίς τε λέων ὀρεσίτροφος — βοῦν ἁρπάσῃ, — ὣς τῶν οὔτινι θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι ἐτόλμα ἀντίον ἐλθέμεναι Μενελάου κυδαλίμοιο*), alii heroes minus insignes (cf. Bernd p. 394). Ceterum notandum, eodem signo Gigantem cum Hercule dimicantem esse praeditum (Gerh. Auserl. Vas. tab. 84), quo procul dubio saevum illius animum (Od. VII, 206: *ἄγρια φῦλα Γιγάντων* etc.) depingere voluit artifex. In cratere Nolano, nondum quod sciam satis explicato (Gerh. Arch. Zeitung 1847 p. 190), leo et duo leonis capita clipeos ornant.

Simili ratione, qua leonem, *pantheram* ad animum fortem certaminisque avidum depingendum in clipeis heroum imprimis bellica virtute insignium posuerunt artifices. In pictura enim, qua ludi sepulcrales in Patrocli honorem habiti conspiciuntur (Gerh. Auserl. Vas. tab. 198), panthera Achillis insigne aptissime sane ad iram ejus cu-

piditatemque amici mortui ulciscendi exprimendam ab artifice videtur esse adhibita; similiterque panthera tamquam terriculum in clipeo Achillis cum Ajace tesseris ludentis serpenti et Sileni capiti apposita cernitur (Mon. ined. d. Inst. II, 22). Neque aliud fortasse consilium secutus pictor Ajacis Achillem mortuum e pugna auferentis clipeum quatuor pantheris (Gerh. l. l. tab. 212), Tydei ad Dircen fontem Ismenae insidiantis alba et nigra panthera (Gerh. l. l. tab. 92) insignivit. Sufficit haec interpretatio quum in aliis picturis, quarum personae non certas prae se ferunt notas, quibus, qui sint, possit conjici (Mus. Etr. Greg. II, 36, 2a. Gerh. l. l. tab. 213), tum in ea, qua Minerva Herculem sequens hoc fert signum, quo quam valida sit herois adjutrix, exponere fortasse voluit artifex (Gerh. ib. I p. 139 not. 202); neque opus est conjectura, id animal Baccho quidem saepissime attributum, ad conjunctionem quandam deae cum deo illo spectare, praesertim quum interpretatio nostra clipei, quem in alio vase fert dea, imagine cervum a panthera dilaceratum demonstrante (Mon. ined. d. Inst. I, 21, 1a. Müller Denkm. I, 18, 92a) satis adjuvetur.

Aper ab Homero saepissime ad viros pugna metuendos comparatione describendos usurpatus, eadem, ut videtur, ratione in clipeis invenitur collocatus. Nam quam sententiam protulit Witteus, aprum Geryonis clipeo impositum ad deum infernum pertinere Geryonisque cum eo cognationem significare (Nouv. Ann. II p. 277 not. 7), ea omni caret documento, quum quomodo aper in aliis clipeis pictus hac ratione possit explicari, nesciam. Ad animum igitur bellicosum clipei signo depingendum aper et Achilli Hectorem vehementer persequenti (Gerh. Auserl. Vas. tab. 203. cf. quae de Ajace dicit poeta Il. XVII, 281: *ἴθυσεν δὲ διὰ προμάχων, συῒ εἴκελος ἀλκὴν καπρίῳ*) et Antilocho Patrocli mortem Achilli nuntianti (Inghir. gall.

Om. II tab. 254. Müller Denkm. I, 44, 207) additus esse videtur; eandemque interpretationis rationem ne in apro Echippi Trojani (Inghir. Vas. fitt. tab. 345. Mon. ined. d. Inst. I, 51) aliusque equitis Trojani (Gerh. l. l. tab. 205, 4) clipeos ornanti adhibeamus, non est, quod obstet. Ad aprum in clipeo herois, qui Cycnum cum Achille pugnantem sequitur, positum (Duc de Luynes explicat. de quelq. vas. tab. I. p. 1 sq. Guigniaut tab. 218, 774) explicandum nihil adjuvat aprum conferre, qui in nummis asiaticis interdum conspicitur; nam quum et aliarum Graecarum Italicarumque urbium nummis impressus sit (cf. Rasche I, 1 p. 917 sqq.), neque quidquam valeat ad signum illud in reliquis heroum clipeis illustrandum, alia explicationis via patere non videtur, nisi ea quam supra demonstravimus; a qua non abhorret aper quatuor alis exstructus, qui in Geryonis clipeo cernitur (de Witte cat. Durand n. 294); significat enim illius ferocitatem velocitatemque (cf. p. 32).

Non longe abest a pantherae aprique significatione *lupus*, in nonnullis clipeis, ut videtur, pictus; nam quum Homerus ad heroum fortitudinem atque audaciam comparatione depingendam lupum quoque adhibeat (Il. XVI, 156 sqq.: *οἱ δὲ λύκοι ὡς ὠμοφάγοι, τοῖσίντε περὶ φρεσὶν ἄσπετος ἀλκή· — ἐν δέ τε θυμὸς στήθεσιν ἄτρομός ἐστι.* Il. IV, 471: *οἱ δὲ λύκοι ὣς ἀλλήλοις ἐπόρουσαν* etc.), idemque saepe cum Marte conjungatur (Eckhel Doctr. Num. V, 300), ut Martium eum appellet Virgilius (Aen. IX, 566. cf. Plutarch. Romul. 4: *νομίζεται δ᾽ Ἄρεος ἱερὰ τὰ ζῶα*), in clipeorum imaginibus (Mus. Etr. Greg. II, 61, 2a etc.) eandem ei inesse vim verisimile est (cf. lupum in galea Romae, Mus. Pio-Clement. II, 15, et viri, qui in clipeo fert scorpium, Canino Mus. Etr. n. 1381). Itaque lupum in Minervae, pugnatricis aliunde notissimae, clipeo pictum (Mon. ined. d. Inst. I, 22, 2a) regionem indicare,

quod censuit Gerhardus (Ann. d. Inst. II p. 215), non opus est conjicere.

Canis, qui, ut alia omittam, in Protomachi (Mon. ined. d. Inst. II, 44) et Hectoris (Campanari 188, 105) clipeis apparet pictus, sine dubio quum animum impavidum (cf. Il. VIII, 299: *τοῦτον* (sc. *Ἕκτορα*) *οὐ δύναμαι βαλέειν κύνα λυσσητῆρα*), tum vigilantiam bono militi propriam eodem modo indicat, quo Jovi Custodi (O. Jahn. Arch. Beitr. p. 84 not. 25) Laribusque aedium custodibus (Rasche I, 2 p. 307 sqq. Creuzer. ad Cic. de nat. deor. II, 27. III, 25. Commentatt. Herodot. p. 239, quorum locorum et aliorum Wieseleri V. C., praeceptoris dilectissimi benevolentiae debeo notitiam), vel Marti ipsi (in nummis Metapontinorum, Rasche III, 1 p. 610) canis est appositus.

Quid *cerva* valeat interdum clipeis imposita, non aeque in aperto est. Ad imbecillum pavidumque animum describendum ab Homero adscitum animal (Il. IV, 243: *τίφθ' οὕτως ἕστητε τεθηπότες ἠΰτε νεβροί;*) similem in modum in clipeo Palladii, ad quod Cassandra Ajace persequente confugit, videtur esse collocatum, ut deam tamquam imbecillorum patronam virginem timidam inermemque ulturam esse imagine quasi indicetur (Gerh. Arch. Zeitung 1848 tab. 13, 1. cf. Nro. 14). Notandum quidem est, cervam et alias cum Minerva esse conjunctam; in vase enim (Mus. Etrusc. n. 1890) Minervae Herculem comitanti cerva addita est, in alio deam duabus mulieribus interpositam sequitur (Gerh. Auserl. Vas. tab. 71. cf. O. Jahn Telephos u. Troilos p. 57 sqq. not. 61 et Arch. Aufsätze p. 101); quo animali etsi conjunctio quaedam deae cum diis Delphicis notata videtur, non est causa, cur clipei insigni eandem inesse significationem putemus. Occurrit enim saepius in heroum clipeis, qui quomodo cum diis illis cohaereant, nullo modo investigari potest; sed in omnibus, quod sciam, picturis quum adolescentibus

tantum apposita sit cerva (in clipeo juvenis cum sene loquentis, Gerh. Auserl. Vas. tab. 44; in herois inter alios pugnantis clipeo, Mus. Etr. Greg. II, 74, 2a, posterior ut videtur cervae pars conspicitur; in vase quod describit Gerhardus Neap. ant. Bildw. p. 377 sq., num heros, qui cervam fert, barbatus sit pictus an imberbis, non plane apparet), juvenilem pugnatoris alacritatem artifex eo fortasse voluit depingere.

Avis, saepissime usurpata, quum vasorum pictores magnam partem certa omiserint indicia, quibus cui generi avium adnumeratam voluerint, appareat, vario modo possit explicari necesse est. Sed etsi in aliquot picturis tam leviter avis imago est adumbrata, ut num avem omnino pictor voluerit describere, in incerto sit (quale est signum in Mus. Etr. Greg. II, 10, 1 a), plerumque tamen ut aquilam cognoscamus, notis quibusdam adducimur, quam ad clipeos ornandos a veteribus esse adhibitam, Pausaniae testimonio probatur (IV, 16, 4); in aliis picturis accuratius delineatis, qualis sit avis (v. c. gallus, Gerhard Auserl. Vas. tab. 85; ardea, Inghir. Vas. fitt. tab. 241), non est dubium. — *Aquila* multis heroibus occurrit apposita, imprimis tamen iis, qui virtute laudeque bellica insignes in fabulis exstant; aquilam enim ferunt, ut e pluribus nonnulla afferam exempla, Hector cum Diomede pugnans, inscriptione notatus (Gerh. l. l. tab. 192; heros, aquila insignitus, duos alios persequens, quos omnes ambit inscriptio *ΗΕΧΘΟΡ*, Hector habendus videtur, Gerh. l. l. tab. 186 cf. III p. 78 sq.), Diomedes, cujus vulnus fovet et vinctura obligat Sthenelus (Inghir. Vas. fitt. tab. 345. Mon. Ined. d. Inst. I, 51. Panofka Bildw. ant. Leb. tab. VII n. 9. cf. Il. V, 106 sqq.), Glaucus, cujus clipeum putet aliquis eundem esse, quem cum Diomede permutasse cum narrat Homerus (Il. VI, 230. Gerh. l. l. tab. 191), Geryon cum Hercule pugnans (de Witte cat. Magnoncour

n. 38. cat. étrusq. n. 139 not. 2. Gerh. l. l. tab. 105); Minervam quoque hoc emblema ferentem multae praebent vasorum picturae (Mus. Etr. Greg. II, 82, 2 a. Gerh. Etrusk. u. Campan. Vas. tab. B n. 1. Auserl. Vas. tabb. 128. 131. 228 etc.), et Aristomenem aquilam expansis alis volantem tamquam insigne gessisse tradit Pausanias (l. l.). — Multas quidem variasque, quibus hoc signum explicarent, in medium portulerunt viri docti sententias, plurimae tamen aberrare a veritate videntur, ideo quod significationem latentem exquirere studebant, apertam manifestamque despiciebant; quarum numero illam primo adscribendam censemus, quam proposuit vir doctus (Duc de Luynes Descript. de quelq. vas. p. 5), qui aquilam in Geryonis clipeo pictam aëris quasi esse signum putat eamque ob causam, ut Geryonis potentiam aëra, terram, mare amplectentem describeret, in duobus reliquis terrae et maris signa artificem posuisse hariolatur; quem sequitur Wittius (Nouv. Ann. II p. 277) signa Geryonis ad imperium ejus coeleste, marinum, infernum pertinere judicans; sed quam imbecilla sint argumenta, quibus illa suffulcitur sententia, Gerhardus (Auserl. Vas. II p. 77 sq. not. 83) recte annotavit, quam ob rem aquilae illam inesse vim nullo modo pro certo haberi potest. Non minus ambigua est Gerhardi explicatio, in duabus vasorum picturis, quarum altera Herculem Minerva comitante in Tartarum descendentem (Auserl. Vas. tab. 128), altera Cerberum domantem (tab. 131) ostendunt, aquilam deae clipeum ornantem coelestis lucis esse signum, quo e superorum deorum numero in Tartari tenebras eam descendisse, indicare voluerit artifex, censentis (ib. II pp. 154. 158); sed idem insigne Minervae non ita diis inferis oppositae attributum videmus in picturis, quibus Hercules Creticum taurum capiens (Mus. Etr. Greg. II, 82, 2 a) et Cassandra ad Palladium confugiens depinguntur (Gerhard

l. l. tab. 228). Itaque quum Minerva dea sit bellica virtute insignis, eadem qua heroibus vi aquilam ei additam esse verisimile est. Jam quae insit huic avi notio, ut perspicuum reddatur, fuerunt, qui avem pugnarum vel venationum picturis in vetustioribus vasis usitatis nonnunquam adjectam compararent. Sed de hac quoque ave diversissimae sunt virorum doctorum sententiae; Wittius (Cat. étrusq. p. 88) animi tamquam imaginem, Dux de Luynes (Ann. d. Inst. I p. 281) velocitatis signum, Gerhardus (Ann. d. Inst. III p. 55 n. 483. Berl. ant. Bildw. p. 189) omen faustum vel sinistrum eam esse censuerunt; quarum quum ultima ad avem illam pugnas supervolantem, quam ad augurium spectare serpente, quem saepe fert rostro vel unguibus (cf. p. 28 sq.), probatur, explicandam aptissima sine dubio videatur, altera, quam proposuit Dux de Luynes, avi potius clipeos ornanti nostro quidem judicio vindicanda est; nescio enim, quid plus valeat ad signum illud illustrandum, quam versus illi poetae: *Πηλείδης δ' ἀπόρουσεν, ὅσον τ' ἐπὶ δουρὸς ἐρωὴ, αἰετοῦ οἴματ' ἔχων μέλανος, τοῦ θηρητῆρος, ὅσθ' ἅμα κάρτιστός τε καὶ ὤκιστος πετεηνῶν* (Il. XXI, 251 sqq. cf. XVI, 581 sq. XVII, 755 sqq. etc.). Avis omnium fortissima atque velocissima idoneum certe fuit insigne herois, qui eo tantum, quod fortitudine et cursu omnibus antecellebat, bellicam sibi parabat laudem nunquam perituram; egregie igitur Achilli id signum addidisset artifex, et addidit fortasse, quamvis, in vasis, quae habemus, casu nusquam, quod sciam, inveniatur; optime aeque appositum est Hectori, principi Trojanorum (Il. XXII, 308 sq.: *οἴμησεν δὲ ἀλείς, ὥστ' αἰετός ὑψιπετήεις, ὅστ' εἶσιν πεδίονδε διὰ νεφέων ἐρεβεννῶν* etc.), optime Diomedi, viro celerrimo, qui ita in Troes irrueret recederetque, ut vix, ubi esset, posset dici (Il. V, 85); Geryoni autem, quem in picturis nonnullis alatum videmus (p. 32), nescio quod si-

gnum aptius potuerit tribuere artifex, ut in picturis, quibus alae desunt, celeritatem ejus depingeret. Messenius vero vir clarus, qui e montium receptaculis impetus necopinatos faceret in hostes eoque recederet, quo sequi nemo posset (cf. Pausan. IV, 11), apte profecto aquilam elegit, qua clipeum ornaret. — Jam quid aquila valeat, Minervae clipeo imposita, potest esse dubium? Bello metuenda virago, ut Ovidii verbis utar, quae accipitris instar e coelo descenderet (Il. XIX, 350 sq.) irrueretque in hostes, fortis illa Herculis adjutrix, quae heroem defenderet, adversariisque ejus obsisteret (Hesiod. sc. Herc. 443 sqq.) aquilam idoneum sibi ascivit insigne; quod non ex vano in Palladii clipeo posuit pictor, quo nefarius ille tamquam admoneretur, adesse deam, quae ex improviso irrumperet in scelestum flagitiumque ulcisceretur (cf. p. 27). Eadem aquilae interpretatio, quum sit simplex minimeque coacta, in aliis picturis, nondum satis explicatis, videtur praeferenda (Gerh. Auserl. Vas. tabb. 149, b. 167. 222). — Duae aves, altera in alteram volantes, quae in clipeis Ajacis mortuum Achillem e pugna auferentis (Gerh. ib. tab. 97, 2), Ulixi Achillem cum Hectore pugnantem comitantis (ib. tab. 199), Neoptolemi in Aeneam incurrentis (ib. tab. 227) inveniuntur, eandem quam una avis, significationem involvere aptiorisque tantum compositionis causa unius loco videntur collocatae. Simili ratione duas aves, quae in clipeo alterius duorum heroum, tesseris ludentium, sunt pictae (Gerh. l. l. tab. 186), quum neque indicia, quibus columbas eas esse probetur (quod suspicatus erat Gerhardus), videantur aperta neque causa, cur elegerit pictor, possit perspici, aquilae instar ad velocitatem indicandam clipeo additas esse censemus.

Varia ut videtur ratione *gallus* in clipeis usurpatus nonnunquam invenitur; Pausania enim auctore (V, 25) Idomeneus, ut Sole se esse prognatum testaretur, in clipeo tulit gallum, Soli sacrum; quam notionem signo illi in vasorum picturis nullo modo inesse posse inter omnes constat, immo fuerunt, qui gallo Gigantis cum Baccho pugnantis clipeo imposito (Gerhard Auserl. Vas. tab. 85) plane contrariam vim subjectam esse putarent, ut ave illa diis inferis sacrificari solita Gigas ut terrae filius significaretur (Gerh. l. l. II p. 18); sed qui locus ad eam sententiam comprobandam citatur (Plat. Phaed. p. 118 A), quum non terrae sacrificatum gallum, sed ab aegrotis tantum recuperata valetudine Aesculapio esse immolatum testetur, alia illi signo insit necesse est notio. Certe gallus in aliorum quoque heroum clipeis perspicuus (Hectoris, Gerh. l. l. tab. 201; herois Herculem comitantis, Guigniaut tab. 180 bis, n. 664, b) non tam singularem habet significationem, quam in Idomenei clipeo, sed communem; quam, quae sit, facile intelliget, qui gallos in vasorum picturis pugnas ostendentibus ornamentorum loco saepe esse adhibitos et columnis impositos palaestram indicare meminerit; ille enim usus e bellicosa galli natura, certaminibus apud Graecos saepe institutis (Hermann Privatalterth. §. 16 n. 16) probata sine dubio profectus est, eoque est factum, ut gallus non solum vigilantiae et industriae, sed et fortitudinis signum haberetur. Nec desunt testimonia, quibus gallo in artis operibus adhibito illam inesse notionem affirmetur; Pausanias enim, quum gallum Minervae cassidi in simulacro ejus videret insidere, eam refert rationem, quod haec sit avis omnium pugnacissima (VI p. 444. 578), eamque ob causam in multis variarum urbium nummis gallus capiti Martis cernitur appositus (Rasche II, 1 p. 1320. cf. Aristoph. Av. 834 sq.: *ὄρνις — ὅσπερ λέγεται δεινότατος εἶναι πανταχοῦ, Ἄρεος νεοττός*, et Roulez Melanges III: explic. d'un combat de coqs, p. 8). Itaque gallus clipeis impositus nihil est nisi signum, quo herois fortitudinem indi-

care voluit pictor, miraque sane, sed ingeniosa appareat necesse est Wittii explicatio, gallum in vase supra citato Herculis comiti esse nomen Alectryoni vel Electryoni significare putantis (Nouv. Ann. II p. 113).

Cycnum in clipeis nonnunquam positum (de Witte cat. Durand 17, 33. Gerhard Neap. ant. Bildw. p. 255. Mus. Etr. Greg. II, 23, 2 a) si quis ad Apollinem, cui sacrata est avis, spectare censuerit, non aptam inveniet rationem, qua cur clipeo sit additus, explicet. Sed cycnum ut animal litigiosum mortiferumque veteribus notum fuisse, ex Aristotele (Hist. anim. IX, 1), qui cycnos invicem sese dilacerare narrat, satis apparet, eoque fortasse est explicandum, cur et ferox ille Martis filius Cycnus sit appellatus (Heinr. Dietr. Müller: Ares p. 77 sqq. 113) et Marti ipsi cycnus in nonnullis artis operibus (Lersch in Jahrbb. des Vereins v. Alterthumsfr. im Rheinl. Heft VIII p. 152) additus inveniatur. Potest igitur vix esse dubium, et hoc signum ut plurima, quae tractavimus, ad herois fortitudinem indicandam hostesque timore afficiendos esse adhibitum.

Delphinus quum ad mare deosque marinos procul dubio pertineat, iis tantum heroibus additus esse potest, qui cum mari ejusque rectoribus aliquo modo cohaerent; hac enim ratione delphinum a veteribus esse adhibitum, scriptorum testimoniis probatur (vid. p. 18), qui Ulixem delphinum in clipeo gessisse, quo navigationes suas aerumnosas memoriae mandaret, tradunt; re vera certe in Ulixis clipeo id signum conspicitur in vasis pictura (Millingen peint. ant. et ined. tab. 50), qua Philoctetes ad Chryses deae simulacrum prope adstans serpente promicante vulneratus depingitur; heros enim barbatus, galea et clipeo ita insignito armatus, ad tergum Philoctetis stans, nemo est nisi Ulixes, a quo anguem statim esse enecatum, scriptor a Millingeno docte allatus testatur; quod

vero pictor heroi, priusquam maris pericula perpessus est, id signum tribuit, nemo est artis operum peritus, qui miretur. — Deinde ad herois parentes indicandos delphinus in clipeo Aeneae (Gerh. Auserl. Vas. tab. 194 cf. III p. 92) videtur adhibitus, cui apte delphinum addidit artifex tamquam Veneris signum, quod saepissime cum illa conjunctum esse non opus est exemplis demonstrare. — Minus perspicuum potest videri, quid valeat delphinus in Minervae clipeis hic illic pictus (D. Maissonneuve Intr. tab. 82. Müller Denkm. I, 17, 91. Gerh. l. l. tab. 228), quippe qui inter usitata deae insignia non inveniatur; sed quum Attica inprimis sint vasa, quae Boechhio praecedente praemiaria vocare licebit, et Attica quidem fabula Minerva ita arcte cum Neptuno sit juncta (cf. p. 33), ut deae delphinum quasi donum amatorium videatur tradere (Gerh. l. l. tab. 7. cf. O. Jahn Arch. Aufs. p. 107, not. 48), piscem illum clipeo deae impositum ad eandem ejus cum Neptuno conjunctionem spectare, facile est intellectu; fuit fortasse artificibus in deliciis, deae urbis fautrici signum addere, quo maris quoque eam esse dominam indicaretur (cf. p. 33). Itaque explicatio, quam pertulit Gerhardus (Etrusk. u. Camp. Vas. p. 4), delphinum utpote qui Apollini, olim ab Atticis Delphinio appellato, sit sacer, Minervae cum hoc deo necessitudinem significare, minus videtur apta. Pariter delphinus, qui in altero vasorum supra citatorum (Gerhard Auserl. Vas. tab. 228) clipeum Palladii, ad quod confugit Cassandra, conspicitur ornans, ad Neptuni cum dea conjunctionem videtur referendus, quum artifex Trojanae quoque deae, eidem fere, ac sua, facile tribueret signum, quod huic solebat apponere (cf. p. 27); nam quod tradit Servius (ad Virg. Aen. II, 396) Graecos ante Trojam pugnantes Minervam, Trojanos Neptunum in clipeis gestasse, vix quisquam afferet, quo signum illud explicet. Similem in modum Minerva

Herculem Nemeaeum leonem occidentem comitans, navis rostro in clipeo picto dea Attica est notata; nam quum signum ad reliquam picturam nullo pertineat modo, deam Atticam, navigationis patronam, cujus in pompa Panathenaica navis insignem tenebat locum (Hermann Gottesd. Alterth. §. 54 n. 15), eo significari verisimile est. Achillis Troilum persequentis (Gerhard Auserl. Vas. tab. 186) clipeus duobus delphinis ornatus quamvis ad deam marinam, e qua erat natus, optime posset referri (Gerhard l. l. III p. 79), tamen quia in eodem vase alii Graeco heroi idem signum est attributum, Atticam Athenam tamquam primariam Graecorum adjutricem eo probari putemus; nam quae expeditior interpretationis via pateat, non videmus. Duo delphini in Geryonis clipeo picti ad terram mari finitimam, qua habitabat, sunt referendi (Nouv. Ann. II, tab. C), quibuscum Wittius apte comparavit delphinos in nummis Gadensium aliarumque ad mare jacentium urbium (Nouv. Ann. II p. 123). — In paucis picturis, ubi delphini cernuntur, quid sibi velint, non potest dijudicari, quum heroes, qui ferunt, parum sint notati (Mus. Etr. Greg. II, 32, 2. Inghir. Vas. fitt. tab. 214); in pugna autem super interfectum (Mus. Etr. Greg. II, 35, 2 a) delphinus in clipeo alterius herois eum fortasse depingit Aeneam, de Patroclo cum Ajace dimicantem, quem idem in alia pictura gessisse signum, jam supra vidimus.

Bovis parti priori vel capiti, in vasorum picturis saepissime clipeis imposito, obscura sane et minus perspecta notio subjecta est; in hoc enim signo explicando magis, quam in ceteris, dissident virorum doctorum sententiae, neque ullam fere lucem attulit illi copia, quam cumulavit in libro nuper edito: Alessandro e Bucefalo, bassirilievo pompejano, per Domenico de Guidobaldi de' Baroni di S. Egidio, Napoli 1851, auctor; proponamus igitur, quod poterat investigari, si quid rectum vidimus contenti, insti-

tutionem libenter accepturi, si offendimus. Videtur autem alia notio bovis parti, alia capiti inesse bovino; quibus enim in picturis bovis pars prior conspicitur, quum currens plerumque et quasi furens sit pictus (cf. Plin. VIII, 70, 45: Taurus — torva fronte — cornibus in procinctu dimicationem poscentibus), ad fortitudinem fortasse et robur herois bovis instar impetu omnia prosternentis indicandum est positus; ita certe explicandum videtur signum in Geryonis cum Hercule pugnantis clipeo pictum (Gerhard Auserl. Vas. tab. 108), tauro enim cornu petente potius ferocitatem illius depingi, quam boves Solis custodiendi munus demonstrari existimamus (quae Gerhardi est sententia ib. II p. 82), quum non quis sit ille, sed qualis sit, Herculi tamquam ostendere voluisse artificem verisimile sit. Pariter bos gradiens ad fortem herois animum demonstrandum hostesque terrendos in Ajacis clipeo est pictus in vase quod dicunt Codri (ed. Braun). Sed capiti bovino, quod multo frequentius in clipeis occurrit, quum signa desint, quibus terrens et id esse insigne possit concludi, eadem quae illi bovis imagini significatio, nullo modo potest esse subjecta; colebatur enim bos, agriculturae et agrorum fertilitatis quasi imago in nummis saepissime adhibitus (Rasche I, 1 p. 1572 sqq.), apud Graecos summa industria, ut immolare eum nefas esset et quod omnium utilissimum hominibus videbatur animal, sacer fere haberetur. Itaque factum videtur, ut caput bovinum tamquam amuletum faustum signum esse putaretur et ad fascinationem avertendam quum corpori appenderetur tum supellectili imponeretur; exstant enim nonnulla exempla, quibus eodem modo, quo phallum, leonis, lupi capita, caput bovinum corpori annexum esse probatur; in Museo Disnejano (Vol. II tab. 82. cf. Wieseler in Götting. Gelehrte Anzeigen 1850 p. 1866) caput bovis annulo adjecto, quo pos-

sit appendi, invenitur, quod quomodo veteres adhibuerint, opere marmoreo, Sileni fortasse simulacro (Müller Denkm. fortgesetzt v. Wieseler II, 41, 496), cujus collo id signum cernitur appensum, intelligimus; idem bucranium sinistra tenet puer nudus (Gori Mus. Etr. I, 33, 2). His conjungenda sunt boum capita, in vasis pictis saepissime templis aliisque aedificiis affixa (Müller Denkm. II, 18, 195 etc.; bovis caput taenia columnae alligatum, in opere ectypo, Bullet. de l'Acad. de Bruxelles Tom. XIII, 1 p. 759), vel vasis, lucernis, alii supellectili tamquam ornamenta addita (Müller l. l. I, 57, 278. II, 43, 544 etc.); neque aliud igitur quidquam valere censemus caput bovinum eo consilio in vasis saepe clipeis impositum, ut et heroem videatur munire, et vas tueatur a malorum invidia. Jam qua ratione explicandum sit signum in Minervae clipeo nonnunquam pictum, non potest esse in ambiguo; neque enim Gerhardi interpretatio, bovis caput Minervae Herculem cum Cyeno dimicantem comitantis clipeo impositum (Gerh. Auserl. Vas. tab. 122) ita explicantis, ut aut, quum in margine picturae leones cum tauris, quos illi videantur victuri, certantes sint repraesentati, tauri caput deae, quippe quam Marte debiliorem omnino pinxerit artifex eo consilio additum esse, ut eo quoque signo quasi minor viribus appareat, aut, quum dei marini tauri caput sit signum, ejus fines nunc ipsum reliquisse Herculem et Minervam, eo indicare voluisse artificem putet, ullo modo satisfacit. Idem enim signum in alio vase deae, cui Victoria taeniam offert, occurrit additum (Welcker Alte Denkm. III, tab. 7), quod neutra Gerhardi explicatione ullam lucem accipit; neque tamen Welckeri sententiam, Minervam pacificam eo indicari censentis, poterit probare, qui et deam pugnantem et heroes proeliantes eodem emblemate insignitos cerni meminerit. Cernitur enim, ut nonnulla afferamus exempla, in clipeo

Achillis Hectorem occidentis (Inghir. Vas. fitt. tab. 41. Gerh. Auserl. Vas. tab. 201), ubi Gerhardi explicationem, ad hecatombas fortasse a Graecis quoque Apollini Hectoris patrono sacrificatas id signum spectare, non sequar; praeterea in clipeo Achillis Troilum interimentis (Gerh. Neuerworb. Denkm. II n. 1641. O. Jahn Teleph. tab. IV), Ajacis fortasse Achillem cum Memnone dimicantem sequentis (Gerh. Auserl. Vas. tab. 167), Achillem pugna auferentis (Mus. Etr. Greg. II, 2, 2a), Teucrum fratrem comitantis (Gerh. l. l. tab. 215), Pirithoi Theseum Antiopam rapientem sequentis (Inghir. Vas. fitt. tab. 320. Mon. ined. d. Inst. I, 55. cf. Annal. IV p. 237), Lapithae cum Centauro pugnantis (Mus. Etr. Greg. II, 85, 1a), Cycni cum Hercule dimicantis (Millingen uned. Mon. I, 38. Müller Denkm. I, 19, 96), Deiphobi, Troilum comitantis (Gerh. l. l. tab. 223), Gigantis cum Minerva pugnantis et Martis, ut videtur, adstantis (ib. tab. 193), aliorum heroum minus accurate signatorum (Gerh. l. l. tab. 213. Inghir. Vas. fitt. tabb. 5. 128. Mus. Etr. Greg. II, 38). His exemplis, quibus multa possunt addi (cf. Bernd. p. 396 sq.), bovis capiti singularem significationem, quae ad heroem clipeum ferentem pertineat, non inesse satis demonstratum reor; itaque hoc erit tenendum, faustum id esse signum et ad malum oculum averruncandum adhibitum.